

COLLECTION

DE

DOCUMENTS INÉDITS

SUR L'HISTOIRE DE FRANCE,

PUBLIÉS

PAR ORDRE DU ROI

ET PAR LES SOINS

DU MINISTRE DE L'INSTRUCTION PUBLIQUE.

PREMIÈRE SÉRIE.

HISTOIRE POLITIQUE.

COLLECTION

DES

CARTULAIRES DE FRANCE.

TOME II.

CARTULAIRE DE L'ABBAYE DE SAINT-PÈRE DE CHARTRES

PUBLIÉ

PAR M. GUÉRARD,
MEMBRE DE L'INSTITUT DE FRANCE.

TOME II.

A PARIS,
DE L'IMPRIMERIE DE CRAPELET.

M DCCC XL.

PARS SECUNDA,

QUÆ DICITUR

CODEX ARGENTEUS.

LIBER PRIMUS.

DE REBUS AD CELLARIUM PERTINENTIBUS.

I.

Privilegium pape Paschalis de VI prebendis et de ecclesiis ab eo confirmatis.

*« Paschalis [1] episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Guillelmo, abbati venerabili monasterii sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quod juxta Carnotum situm est, ejusque successoribus regulariter promovendis in perpetuum. Pie postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatinus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Quia igitur dilectio tua, ad sedis apostolice portum confugiens, ejus tuitionem devotione debita requisivit, nos supplicationi tue clementer annuimus, et beatorum apostolorum Petri et Pauli Carnotense cenobium, cui, Deo auctore, presides, cum omnibus ad ipsum pertinentibus, sub tutelam apostolice sedis excipimus. Per presentis igitur privilegii paginam, apostolica auctoritate, statuimus ut quecumque predia, quecumque bona, pontificum concessione, regum et principum liberalitate, vel aliorum fidelium legitimis oblationibus ad ipsum hodie monasterium pertinent, vel in futurum pertinere contigerit, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec pro-

6 jan. $\frac{1106}{1107}$.

[1] Vulgat. in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 311.

priis visa sunt nominibus annotanda : ecclesia sancti Hylarii, sancti Leobini, Campi Fauni, Manuvillaris, Mitani Villaris, Verni, Alone Boas Ville, Reclainvillaris, Imonis Ville, Germenonis Ville, Ursi Ville, Alpedani, Capelle Regie, salvo, juxta consuetudinem, solius episcopi jure, in eis tantum que ad proprium ordinem pertinent; item altaria, sex videlicet : altare videlicet de Bruerolis, et de Armentariis, et de Roheria, et de Buxeto, et de Cruciaco, et de Castellariis, sicut a venerabili fratre nostro Ivone episcopo institutum est, sine ulla redemptione ulterius habenda, libera et quieta a synodo, et circada, et ab omni consuetudine, et ab omni inquietatione, sive ab exactione justicie a presbiteris in predictis locis servientibus, exceptis his que ad proprium ordinem eorum pertinent de quibus presbiteri illi episcopo, seu archidiacono respondeant. Confirmamus etiam vobis ecclesiam de Gisiaco, et ecclesiam de Fontaneto, in pago Vilcassini, in parrochia Rothomagensi, sicut hactenus a vestro monasterio libere possesse sunt; et, in Carnotensi ecclesia beate Marie, prebendas VI, ita libere et integre possidendas, sicut a bone memorie Rainfredo, Carnotensium episcopo, eidem vestro monasterio contribute sunt. Decernimus itaque ut nulli omnino homini liceat idem monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare, sed omnia integra [1] conserventur, eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salvo jure Carnotensis episcopi. Hoc quoque presenti decreto subjungimus, ut idem monasterium, cum suis appendiciis, et ejus monachi ab omni secularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundane oppressionis remoti, quatinus in sancte religionis observatione seduli quietique, Domino largiente, permaneant. Si qua igitur ecclesiastica secularisve persona, hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo

[1] Cod. habet, *omnino integra;* hic vero, et quotiescumque apographum ex archetypo instrumento descriptum invenimus in mss. D. Muley, illius lectionem sequi maluimus.

corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque, in extremo examine, districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen[1].

[Scriptum per manum Rainerii, scriniarii regionarii et notarii sacri palatii.

Ego Paschalis, catholice ecclesie episcopus. Bene valete[2].

Datum Laterani, per manum Johannis, sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis ac bibliothecarii, VIII idus januarii, indictione XIIII, incarnationis dominice anno MCVI, pontificatus autem domni Paschalis II pape VII[3].] »

II.

Modificatio ejusdem privilegii cum canonicis.

* « Guillelmus[4], abbas sancti Petri, suique monachi privilegium quoddam, pro tuitione rerum suarum, a bone memorie Paschali papa impetraverant; sed quedam in illo privilegio continebantur unde canonici beate Marie molestabantur, que utrorumque assensu sic modificata sunt. Ecclesiam beati Petri sanctique Hylarii ecclesiam, et quicquid intra muros earumdem ecclesiarum est, libere et quiete possidebunt monachi, et quodcumque forisfactum ibi fuerit, absolute illorum erit, pontificali tantum jure excepto. Extra muros vero, et extra corpora ecclesiarum, quodcumque vel a quocumque forisfactum fuerit, ad decanum vel subdecanum pertinebit, exceptis illorum forisfactis qui de pane monachorum vivunt; qui, ubicumque in parrochia beati Hylarii forisfecerint, vel intra muros monachorum, nichil nisi abbati et monachis emendabunt, salvo semper jure episcopali. Insuper quieti sacerdotum sancti Hylarii provisum est, quod immunes a potestate

Circa a. 1124.

[1] Hic desinit bulla in cod. Arg. Quæ sequuntur descripta sunt ex mss. D. Muley, cujus apographum ad bullæ archetypæ fidem recensitum fuit.

[2] Hæ duæ voces monogrammate exprimuntur.

[3] Sigillum seu bulla plumbea, sericis laqueis appensa, ex una parte proferebat nomen Paschalis II papæ, ex altera icones nominaque Petri et Pauli apostolorum.

[4] Vulgat. in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 312.

decani vel subdecani sint, exceptis his : in commonitione parrochianorum suorum obedientes erunt, et in excommunicatione et absolutione. Et extra muros, et extra ecclesias, a quibuscumque atrium fractum fuerit, sacerdotes a decano vel subdecano aquam benedictam, ad reconciliandum atrium, requirent, sic tamen quod servientes qui de pane monachorum vivunt nullam decano vel subdecano emendationem facient, sicut supra dicimus. Si vero decanus vel subdecanus aquam eis negaverint vel prolongaverint, ipsi sacerdotes in domo episcopi accipiant, et atrium reconcilient, et statim cantent. Et si de his, scilicet de parrochianorum admonitione vel excommunicatione vel absolutione, vel de aque benedicte peticione, ut determinatum est, decano vel subdecano obedire noluerint vel omiserint, commoniti in capitulo beate Marie venient, et, si ibi se purgare potuerint, sola manu purgabunt se; si vero super his determinatis se purgare non potuerint, ibi veniam accipient, et hoc usque tercio; quarto autem si in culpa reperti fuerint, decanus vel subdecanus abbatem ut extrudat eos submonebunt, et tunc per abbatem expellentur, et alii introducentur, sic tamen ut per omnia jus episcopi conservetur. De cetero provisum est, ut sacerdotes parrochianos suos, monachorum debita reddere nolentes, ad preceptum abbatis et monachorum excommunicent; sed eos sine licentia decani vel subdecani absolvere non poterunt. Sacerdotes ecclesiarum Campi Fauni vel Manuvillaris decano et subdecano, sicut ceteri suburbani sacerdotes, subjecti erunt. Ecclesie vero priusquam reconciliate fuerint, pro qualibet violatione ipsarum vel cimiteriorum, nunquam cessabunt, et aqua benedicta nunquam eis negabitur. His emendatis, privilegii firmitas, assensu episcopi et totius capituli, integra et inconcussa manebit. »

III.

Privilegium Honorii pape de ecclesiis ab eo confirmatis.

8 mart. 1127. * « Honorius [1] episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Willelmo, abbati monasterii sanctorum apostolorum Petri et Pauli,

[1] Edit. *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 325.

quod in suburbio Carnotensium urbis situm est, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Equitatis et justicie ratio persuadet nos ecclesiis perpetuam rerum suarum firmitatem, et vigoris inconcussi munimenta conferre. Non enim convenit Christi servos, divino famulatui deditos, perversis pravorum hominum molestiis agitari, et temerariis quorumlibet vexationibus fatigari; similiter et predia usibus celestium secretorum dedicata, nullas potentium angarias, nichil debent extraordinarium sustinere. Hoc nimirum caritatis intuitu, dilecte in Domino fili Willelme abba, venerabilis fratris nostri Gaufridi, Carnotensium episcopi, precibus inclinati, tuis rationalibus postulationibus annuentes, monasterium beatorum apostolorum Petri et Pauli, in Carnotensi suburbio constitutum, cui, Deo actore, presides, presentis scripti nostri pagina communimus. Statuimus enim ut quascumque possessiones, quecumque bona idem monasterium inpresentiarum, concessione episcoporum Carnotensium, liberalitate regum, largitione principum et oblatione fidelium, juste et legitime possidet, sive in futurum, largiente Deo, justis modis poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis nominibus duximus exprimenda : ecclesiam videlicet sancti Germani de Alogia, cum capella de Domna Petra, ecclesiam sancti Leobini de Braiaco, ecclesiam sancti Romani de Braiaco, ecclesiam sancti Petri de Arro cum capellis suis, ecclesiam sancte Marie de Evorea, ecclesiam Ville Villonis, ecclesiam sancte Marie de Stellionibus, ecclesiam de Luigniaco, ecclesiam de Domna Petra, ecclesiam sancti Leobini de Castro Duni, ecclesiam sancti Stephani de Spelterolis, ecclesiam de Tornesiaco, ecclesiam de Capella Osane, ecclesiam de Verrigniaco, ecclesiam de Billoncellis, ecclesiam de Senonchiis, ecclesiam de Puteosa cum capella, ecclesiam de Mansellaria, ecclesiam de Resuntis, ecclesiam de Mori Villari, ecclesiam de Mutionis Villari, ecclesiam de Capella Fortini, ecclesiam de Rivellonio, ecclesiam de Fursonis Villari, ecclesiam de Vitriaco, ecclesiam de Belchia, ecclesiam de Rudeto, ecclesiam de Alneto, ecclesiam de Monasteriolo, ecclesiam sancti Martini de Firmeri Curia, ecclesiam de Nantilliaco, ecclesiam de Olins, ecclesiam de Aneto, eccle-

siam de Salceto, ecclesiam sancte Marie de Moncellis cum capella de Sorel, ecclesiam de Calgeto, ecclesiam de Vi, redditum prebende ecclesie sancti Martini de Valle; in episcopatu quoque Aurelianensi, ecclesiam sancti Paterni, ecclesiam de Niz; in episcopatu Ebroicensi, ecclesiam de Bello Loco, ecclesiam sancti Christofori, ecclesiam de Canziaco, ecclesiam de Illeiis, ecclesiam sancti Georgii, ecclesiam de Purlaico; in episcopatu Sagiensi, ecclesiam de Planchis, ecclesiam sancti Laurentii, ecclesiam de Brogilo Amaro; et in Rothomagensi episcopatu, ecclesiam de Leonis Curia, ecclesiam de Gueriaco, ecclesiam de Aldoeni Villa, ecclesiam de Gundeli Curia; preterea in præfato Carnotensi episcopatu, ecclesiam de Treione, ecclesiam sancti Germani de Guastina, ecclesiam de Isis. Hee vero tres predicte ecclesie ab omni exactione et redditu, synodi et circade immunes, salvo jure episcopali, in sua permaneant libertate. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare, set omnia integra conserventur, eorum, pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva diocesanorum episcoporum justicia. Si qua igitur, in futurum, ecclesiastica secularisve persona hanc nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo terciove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, atque, in extremo examine, districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, amen, amen. Ego Honorius, catholice ecclesie episcopus, subscripsi. Bene valete [1].

Datum Laterani, per manum Aimerici sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis et cancellarii, VIII idus marcii, indictione V^{ta}, incar-

[1] Hæ duæ voces per monogramma expressæ sunt.

nationis dominice anno MCXXVII, pontificatus autem domni Honorii secundi pape anno III°. »

IV.

Privilegium Gaufridi episcopi de eisdem.

« Pastoralis officii regula prophetico quidem satis, sed non minus apostolico informatur exemplo, cum et illi eradicandi plantandique officium, et huic ministerium plantandi rigandique perhibetur injunctum. Quia igitur et ego Gaufridus, tam eradicandi noxia quam utilia plantandi minister in ecclesia sum Carnotensi constitutus, sciens me susceptum officium in omnibus quidem negotiis, sed precipue circa servorum Dei utilitates religiosarumque personarum commoda, exercere debere, monasterium sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quod in Carnotensis hujus urbis suburbio situm est, in episcopalis hujus sedis curam tutelamque specialiter excipio, eique eam, quam hactenus habuit, ab omni secularis potestatis dominatione libertatem, episcopali auctoritate, confirmo, presentis privilegii pagina sanctiens ut nulli unquam regum, nulli comitum, nulli cujuscumque alterius secularis potestatis persone, monasterium idem nulla liceat dominatione invadere, nulla vexatione perturbare, nulla oppressione sive angaria infestare. Statuo igitur et episcopali decreto confirmo, quatinus omnia quecumque monasterio eidem, sive ex predecessorum meorum donatione vel concessione, sive ex regum aut comitum liberalitate, seu ex quorumlibet fidelium largitione sunt attributa, abbati, quicumque ibi fuerit, et monachis Deo inibi servientibus firma omnino et integra quietaque permaneant, et solummodo servorum Dei usibus pro quibus et data sunt perpetuo proficiant. Possessionem quoque earum que propriis nominibus subnotate sunt ecclesiarum, cum omnibus ad se pertinentibus, monasterio eidem, sicut vel a me vel ab antecessoribus meis episcopis donate sunt, salvo Carnotensis ecclesie jure, episcopali auctoritate confirmo, eamque ei per omne succedens tempus quietam illibatamque permanere decerno possessionem : sci- 27 nov. 1126.

licet ecclesie sancti Germani de Alogia, cum capella de Domna Petra, sancti Leobini de Braiaco, sancti Romani de Braiaco, sancti Petri de Arro cum capellis suis, sancte Marie de Evorea, Ville Villonis, sancte Marie de Stellionibus, de Luigniacio, de Domna Petra, sancti Leobini de Castro Duni, sancti Stephani de Spelterolis, de Turnisiaco, de Capella Osane, de Verrigniaco, de Billoncellis, de Senonchiis, de Puteosa cum capella de Mansellaria, de Resuntis, de Mori Villari, de Mutionis Villari, de Capella Fortini, de Rivellonio, de Fursonis Villari, de Vitriaco, de Belchia, de Rudeto, de Alneto, de Monasteriolo, sancti Martini de Firmericuria, de Nantilliaco, de Olins, de Aneto, de Salceto, sancte Marie de Moncellis cum capella de Sorel, de Calgeto, de Vi. Harum, inquam, omnium ecclesiarum, omniumque ad eas pertinentium possessionem predicto monasterio, episcopali, sicut dictum est, actoritate, confirmo; decernens atque constituens, quatinus nulli unquam nec ecclesiastice nec seculari persone aliquam earum que supranominate sunt ecclesiarum a prefato monasterio liceat quacumque occasione alienare, nec ulla ulterius reclamatione vel surreptione earum possessionem in aliquo perturbare. Hanc sane sanctionis nostre paginam si qua ecclesiastica secularisve persona infringere aliquando aliqua ex parte scienter temptaverit, si non congrua satisfactione emendaverit, ei, quecumque illa sit, sanctissimi corporis et sanguinis Domini nostri Jhesu Christi participationem interdico, et, ut in regno Christi et Dei partem non habeat, ab omni sanctorum consortio debita excommunicatione sequestro. Actum in episcopio nostro, anno ab incarnatione Domini MCXXVI°, V° kalendas decembris. Cui rei interfuerunt quorum nomina subscripta sunt testes : Galterius archidiaconus, Zacharias archidiaconus, Richerius archidiaconus, Paganus archidiaconus, Hugo de Leugis prepositus, Henricus prepositus, Bernardus capicerius, Willelmus Muignart canonicus, Gislebertus canonicus, Guido canonicus, Willelmus Boslenus canonicus; de monachis : Hubertus capicerius, Conanus cellerarius, Rainardus, Bernardus notarius. »

V.

Recitatio superius scripti privilegii pape Paschalis.

« Quando privilegium quod superius, id est[1] quarto abhinc loco scriptum est, in capitulo beate Marie recitatum fuit, presentes affuerunt quorum nomina subscripta sunt, a quibus etiam et omnibus auditoribus qui innumeri aderant debita veneratione receptum et concessum est : Ivo, venerabilis Carnotensis ecclesie episcopus; Wulgrinus cancellarius, a quo et privilegium recitatum est; Ernaldus decanus; Hugo prepositus, nepos ejus; Fulcho archidiaconus, Willelmus archidiaconus, Odo archidiaconus, Warinus succentor, Hilbertus de Gurzeziis, Paganus de Mungervilla, Walterius de Bona Valle, Mainardus, Teudo, Galterius de Galardone, Goslinus capellanus episcopi, Winebertus et innumerabiles alii[2]. » Anno 1107

VI.

Scriptum Ivonis episcopi de VI altaribus.

« Quoniam convenit omnibus fidelibus Christi cultum amplificare, ejusque servitoribus, ut expeditius suis laudibus invigilent, que necessaria sunt subministrare, quedam necessitas episcopos, quibus dispensatio domus Domini commissa est, videtur convenire, ut in eo sint precipui ad quod divina ordinatione sunt prepositi. Igitur ego Ivo, gratia Dei, Carnotensis, licet indignus, episcopus, concedens petitioni, que justa videbatur, Eustachii, abbatis sancti Petri Carnotensis cenobii, dono ei et toti monachorum in predicto cenobio Deo militantium congregationi, altaria VI, que et ante concessione predecessorum meorum tenuerunt, videlicet altare de Bruerolis et de Ermen- 1 jul. 1093

[1] Cap. I, p. 257.

[2] Hæc lectio sive recitatio bullæ Paschalis II brevius memoratur in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 311.

tariis et de Roheria et de Buxeto et de Cruciaco et de Castellariis. Dono autem, cum consensu fratris nostri Ernaldi archidiaconi, predicta VI altaria, sine ulla redemptione ulterius habenda, libera et quieta a synodo et circada, et ab omni consuetudine et ab omni inquietatione sive exactione justicie a presbiteris in predictis locis servientibus, exceptis his que ad proprium ordinem eorum pertinent, de quibus presbiteri illi episcopo seu archidiacono respondeant. Ut autem per succedentia tempora firma et stabilis hec donatio permaneat, presenti scripto mandavi, et signo crucis manu mea facto roboravi, et fidelium meorum manibus corroborandam tradidi. Hec carta data est ab Ansello cancellario, kalendis julii, indictione I, anno ab incarnatione Domini MXCIII°. »

VII.

Privilegium Gaufridi episcopi de libertate trium ecclesiarum, scilicet de Treione et sancti Germani de Vastina et de Isis.

27 nov. 1126. « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Gaufridus, Carnotensis ecclesie, Dei gratia, humilis minister, omnibus, et qui modo sunt et qui postmodum futuri sunt, fidelibus notum esse volo, quod monasterium sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quod situm est in valle Carnotensi huic civitati contigua, sub pontificalem hujus sedis curam ac tutelam specialiter exceperim; quodque ei pristinam illam ab omni secularis potestatis dominio servicioque libertatem, episcopalis actoritatis privilegio, confirmaverim; quod denique omnia que ei, ex quorumcunque fidelium donatione seu concessione, contributa sunt, pontificali decreto sanctiverim. Hoc ipsum igitur et in hoc privilegio iterans, tres quoque, que propriis infra sunt annotate nominibus, ecclesias eidem monasterio, presentis privilegii sanctione, confirmo; ita ut, preter ea solum que ad jus pontificale pertinent, ab omni tam ecclesiastica quam seculari cousuetudine liberas eas, sicut hactenus fecerunt, predicti monasterii monachi, cum omnibus ad eas pertinentibus, in perpetuum possideant : ecclesiam scilicet de Treione, sancti Germani de

Vastina et ecclesiam de Isis. Has, inquam, tres ecclesias in ea quam antiquitus habuisse noscuntur libertate, a synodo et circada seu qualibet alia exactione, salvo, ut dictum est, episcopali jure, permanere episcopaliter decerno. Contra quod decretum nostrum si qua unquam ecclesiastica secularisve persona venire temptaverit scienter, nisi hoc congrua satisfactione emendaverit, a sacratissimo Christi Domini corpore et sanguine eam sequestro, et, nisi resipuerit, eterne maledictioni, actoritate pontificali, expono. Terminus et testes qui in alio, ipsi idem et in isto privilegio fuerunt. Terminus annus ab Incarnatione MCXXVI°, V° kalend. decembris. Testes : Galterius archidiaconus, Zacharias archidiaconus, Richerius archidiaconus, Hugo de Leugis prepositus, Henricus prepositus, Paganus archidiaconus, Guillelmus Muignart, Gillebertus cancellarius, Guillelmus Boslenus, Guido, Hildegotus; de monachis : Hubertus capicerius, Conanus cellerarius, Rainardus, Bernardus notarius. »

VIII.

Scriptum Mathei, romani per Galliam legati, de libertate abbatem eligendi.

« Servorum Dei quieti sicut in presenti consulere pium est, sic et in posterum providere oportunum. Proinde ego Matheus, Albane ecclesie, Dei gratia, humilis episcopus, et sancte Romane atque apostolice sedis cardinalis et in Galliis legatus, omnibus quibus oportuerit notum esse volo fidelibus, quia monasterio sancti Petri Carnoti eam, quam hactenus habuisse cognoscitur, abbatem eligendi libertatem, presente venerabili Gaufrido, Carnotensi episcopo, ipsius suggestu atque rogatu, ex Romane ecclesie auctoritate, presens in ejus monasterii capitulo, presidente ei Udone [1], recens electo abbate, viva voce confirmaverim, et hoc idem scripto atque sigillo nostro me facturum promiserim. Nunc ergo eamdem confirmationem repetentes, ex domini pape Honorii, cujus in Galliarum partibus vicem gerimus, auctoritate, et ex Anno 1130.

[1] Odo, abbas electus est ineunte a. 1130, Honorius II papa obiit m. febr. ejusdem a.

Romane, cui ipse presidet, sedis potestate, scripto et sigillo isto decernimus atque statuimus, ut prefati monasterii sancti Petri Carnoti capitulo, ab omni tam ecclesiastica quam seculari potestate omnino libera sit et firma abbatis sui electio, et, sicut hactenus licuit, perpetuo liceat monachis quamcunque voluerint personam, regulariter duntaxat, sibi in abbatem eligere, itaque electam, sine cujusquam contradictione, sine prejudicio vel surreptione, locum firmiter obtinere. Quod decretum nostrum si quis unquam quolibet ingenio ausus fuerit aliquatenus scienter temerare, ex ipsius domini pape auctoritate, ex sancte atque apostolice sedis majestate, eum, quicunque ille fuerit, anathematizamus, atque a regno Christi et Dei, nisi hoc digna cum satisfactione emendaverit, sequestramus. »

IX.

Donatio Odeline ancille.

1079-1101. « Notum sit omnibus et presentibus et futuris fidelibus, quod Gauslenus de Leugis dedit, pro sua et pro parentum suorum salute, quandam ancillam suam, nomine Odelinam, monasterio sancti Petri Carnoti. Que quomodo gesta sit donatio, ecce. Eo namque tempore quo domnus Eustachius [1] predicto sancti Petri monasterio presidebat abbas, prefatus Gauslenus, una cum uxore sua Odelina, in capitulum monachorum venit, et, concedente eadem conjuge sua, necnon et filiis suis Gausleno et Gaufrido presentibus et concedentibus, supradictam ancillam suam Odelinam, filiam Magenardi, majoris Campi Fauni, ecclesie sancti Petri in elemosinam et prius in eodem capitulo dedit, et postmodum donum ejus super altare sancti Petri posuit, et capitale suum eamdem mulierem ibidem super altare reddere fecit; sicque eam, cum tota posteritate sua, ex suo dominio in jus ecclesie sancti Petri perpetuo migravit, adeo integre et libere, ut eidem Odeline

[1] Eustachius, electus anno vel exeunte 1078 vel ineunte 1079, abbatiam S. Petri consignavit Guillelmo, Majoris Monasterii monacho, a. 1101, obiitque die 2 maii 1102.

totam, que se contingebat, totius patrimonii sui portionem quietam et absolutam simul ei concesserit, sicque deinceps ecclesie sancti Petri dominio tam eamdem Odelinam quam totam ejus possessionem, jure perpetuo possidendam, delegavit. Cujus rei testes ex utraque parte fuerunt qui subscripti sunt : Dodo, frater ejusdem Gausleni; Stephanus, filius Guerrici vicedomini; Gualo, Stephanus major et Godeschallus, fratres ejusdem Odeline; Garinus major; ex parte ecclesie : Rainardus Malesherbes; Gilduinus, filius Ingelberti; Odo pistor, Giroldus, Mascelinus; Gislebertus, filius Aventii; Galterius, filius Giroldi; Harduinus et Teduinus, Alo ortolanus, Robertus infirmarius, et alii plures. »

X.

Extintio [1] cujusdam calumpnie de donatione eadem facte.

« Servorum Dei quieti prospicere servum Dei se ipsum probare est. 1115-1149.
Proinde ego Gaufridus [2], Carnotensis ecclesie Dei gratia episcopus, omnibus, qui litteras istas legerint, fidelibus notum esse volo, taliter esse terminatam in nostra episcopali curia, judicio christianitatis, calumpniam quandam, quam frater meus Gauslenus de Leugis fecerat ecclesie et monachis sancti Petri Carnoti, de filiis et filiabus Odeline, filie Magenardi, majoris Campi Fauni, Gisleberto atque Chotardo, Milesende atque Burgesia, dicens eos et eas, cum omnibus possessionibus suis, sui potius juris esse debere quam monachorum; ut calumpnia eadem atque invasio injusta prorsus ideoque omnino inefficax et cassa fuerit adjudicata; quodque omnibus quorum nomina infra scripta sunt videntibus atque audientibus, idem germanus meus Gauslenus de injuria, quam calumpniando seu invadendo fecerat, ecclesie sancti Petri Carnoti satisfecit in manu Roberti de Bello Videre, ejusdem monasterii prioris : sicque injustitiam suam recognoscendo, et de ea, sicut dictum est, satisfaciendo, totius predicte familie jus possessionemque eidem sancti

[1] Sic.

[2] Gaufridus II, dictus de Leugis, a Paschali papa ordinatus a. 1116, sedem Carnotensem tenuit usque ad diem 24 jan. 1149.

Petri ecclesie confirmavit. Testes ex parte Gausleni : Robertus de Trembleio; Hugo de Leugis, prepositus sancte Marie; Paganus, filius Gauterii; Garinus major, et Garinus frater ejus; Brithardus de Piati Villari; Radulfus, frater Godeschalli; Gosbertus de Valeia, Belinus. Ex parte monachorum : Gauterius archidiaconus, Paganus archidiaconus, Zacharias subdecanus, Hugo; nepos decani, prepositus; Guillelmus Moignart; Rogerius [1], abbas Columbensis, cum tribus de monachis suis; Guillelmus, filius Ansoldi, cum Gauterio fratre suo Britel; Guado de Sancto Piato; Guillelmus de Cella, urbis prefectus; Alcherius, filius Adelonis, et frater ejus Ernaldus; Teherius, Laurentius tanator; Hubertus, filius Balduini; Radulfus villanus, Robertus Enparchepen, Petrus hospitalarius, Petrus sartor, Noldardus, Hugo de Sesnevilla, Godeschallus major; Rainardus, filius Aventii; Goisbertus Coispel, Vivianus textor, Richardus de Ebroicis, Amauricus, Gualterius de Rumboillet; Hugo, filius Savarici; Raherius de Sparnone. »

XI.

Confirmatio sancionis regis Ludovici facta a papa Paschali.

13 apr. 1117. « Paschalis [2] episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Gaufrido, Carnotensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem. Que a secularibus principibus juste et legaliter statuuntur, dignum est ut nostri quoque favoris assertione firmentur. Illam igitur sancionem illustris filii nostri Ludovici, Francorum regis, quam pro Carnotensis ecclesie quiete sancivit, nos presentis decreti actoritate firmamus. Cujus videlicet sancionis verba sic se habent nominatim. « Propter reve« rentiam beate Marie et beati Petri apostoli, in prediis Carnotensis « ecclesie, tam episcopalibus quam canonicalibus, et prediis monasterii « beati Petri apostoli, que videlicet a Puteacensibus dominis diu op« pressa fuerant, pretaxatas oppressiones funditus abolemus, ut neque

[1] Rogerius, Guinimari militis filius, Columbarum abbatiæ præfuit ab a. 1115, vel circiter, ad a. 1166.

[2] Paschalis II papa obiit a. 1118, unde colligitur chartam exaratam fuisse a. 1117, quocum convenit indict. X[a].

« sub nomine nostre regie majestatis, neque sub nomine alicujus alterius potestatis, alique angarie vel violentie inferantur; nulle exactiones, nulla gravamina ingerantur; sed omnis eorumdem utilitas usibus eorum tantum proficiat, pro quorum sustentatione sacratis locis predicta predia, fidelium collatione, sunt concessa et predecessorum nostrorum astipulatione confiscata. » Hanc igitur supradicti regis justam et legitimam sanctionem ita ratam, per succedentia tempora, et illibatam servari censemus, ut, si quis eam, presumptione temeraria, violaverit tanquam sacrilegus, usque ad satisfactionem, ab ecclesie liminibus arceatur. Datum Beneventi, idibus aprilis, indictione decima. »

XII.

De vineis quæ sunt apud Sanctum Leobinum.

« Ego Arnulfus[1], Dei gratia, abbas Carnotensis cenobii sancti Petri apostolorum principis, notum esse volo Christi fidelibus, tam presentibus quam futuris, quod petitioni fidelis nostri Rodulfi, nepotis domni Fulberti, bone memorie presulis, annuimus ego et monachi fratres mei : videlicet ut octo aripennos vinearum et dimidium, quas de nostro beneficio tenet apud Sanctum Leobinum, mittat in dotem sponse sue Geile, Haldrici prepositi filie; ea conventione, ut, quamdiu ipse Rodulfus vixerit, more solito, habeamus de illo servitium, et, post decessum ejus, de suis heredibus ad quemcunque illorum illud nostrum beneficium jure hereditario redierit. Quod si ipse vel heres suus de servicio nostro vel successorum nostrorum ita negligentes fuerint, ut eorum negligentia nullatenus ferri debeat, beneficium perdant. Jussimus etiam hanc nostram actoritatem litteris annotari, subscriptis nominibus fratrum nostrorum atque laicorum hujus rei testium : domnus abbas Arnulfus, Rotgerius, Gualterius, Cristoforus, Letaldus, Robertus, Guinefredus, Durandus, Guarinus, Rodulfus, Asce- 1029-1033.

[1] Arnulfus, a puero monachus, abbas consecratus a. 1013 a Fulberto Carnotensi præsule, monasterium sancti Petri rexit usque ad a. circiter 1033, quo defunctus est. Episcopus Fulbertus obierat die 10 april. 1029.

linus, Cristoforus, Hildegarius, Raimundus, Petrus, Magenardus, Gausbertus prior, Gualterius, alter Gualterius, Guarinus, Arefastus, Hubertus, Beringerius, Berardus, Ainardus, Rainerus, Gausbertus, Girardus, Otbertus, Gumbertus, Albertus, Gualterius, Herbertus. Testes Rodulfi : Hildegarius, Haldricus, Robertus, Haimericus, Frodo, Herbrandus, Gelduinus, Gaufredus, Yvo, Fulbertus, Hezelinus, Robertus, Rodulfus, Arnulfus. »

XIII.

De tercio denario boschi, a Garnerio de Salamervilla dati, a Christiano dato, a Roberto de Tarzeis concesso.

« Ne nos unquam aliqua pravorum perversitas ex hoc prepedire valeat, hac omnibus fiat notum noticia litterarum, quod Robertus de Tarzeis, quando Christianus quidam, suus homo, nobis monachis sancti Petri tercium denarium de boscho, quem Garnerius de Salamervilla longe ante nobis dederat, tribuit, affuit et concessit, videntibus Adventio milite, Radulfo Artus, Roberto Quatuor Boum, Tebauldo clausario, Gaufrido Boscheto. »

XIV.

De XII denariis census a Gausleno Chanardo datis, a Harduino concessis.

« Nec istud aliquem lateat, quod Harduinus Caput Ferri, cum uxore sua Hersendi et Hugone filio ejus, concessit nobis XII denarios, quos Gauslinus Chanardus nobis dederat. Affuit ad hoc, ex ejus parte, Seibertus, homo Nivelonis; ex nostra, Adventius miles, Durandus faber, Gaufridus clausarius, Tebaldus Cheron, Christianus pelliparus, Arroldus; Robertus, filius Berengerii. »

XV.

De pacto sacristerie cum Harduino sacrista.

« Ut facilius ad memoriam, et, si necesse fuerit, veracius valeat revocari id quod cum Harduino, quodam homine nostro, gessimus, litteris volumus reservari. Mortuo igitur Teduino, prefatus Harduinus, ipsius frater, quedam que idem Teduinus a nobis in vita sua tenuerat, fevum videlicet quoddam, de nobis equo servire solebat, et ecclesie nostre servitium, quod dicitur sacristeria, petiit ut sibi concederemus. Nos autem, ejus precibus tandem assentientes, illud potius considerantes, quod et ipsius tota familia ecclesie nostre servit, quemadmodum ejus frater ea tenuerat sibi et filio suo, in vita eorum, concessimus; eo scilicet modo, quod de equo serviret, et, si quid de rebus ecclesie furto subtraheretur, vel sua negligentia sive aliquorum sibi servientium violaretur, ipse restitueret; ipse vero, donec filius ejus convenientis esset etatis ad serviendum, nobis serviret; quod si, prepediente infirmitate vel qualibet alia causa, non posset honeste servire, personam convenientem quereret, que, suo loco, servitium ecclesie honeste complere valeret. Audientibus his : Teculfo Dominico, Christiano pelliparo, Belino Rufo, Gualterio coco; Boscheto, filio ejus; Johanne, Gaufrido, Julduino, Cothardo cocis. »

XVI.

De domo et curtillo a Menelde datis, deque calumpnia super eisdem a Viviano facta et extincta.

« Eo tempore quo domnus Willelmus[1] huic nostro monasterio abbas 1101-1129.
presidebat, mulier quedam, Meneldis nomine, que Willelmum cau-

[1] Willelmus, Majoris Monasterii monachus, viventi atque probanti Eustachio successor datus a. 1101, obiit die 22 decembr. 1129.

ponem maritum habuerat, post mortem ejusdem viri sui, capicerie hujus nostre ecclesie, quam tunc Conanus administrabat, dedit quamdam domum suam et unum curtillum ad illuminanda luminaria. Deinde virum alium duxit, nomine Vivianum, qui, predictum conjugis sue beneficium impedire volens, calumpniatus est, quod, dum sibi eam sumeret in uxorem, ejusdem domus atque curtilli medietatem sibi dedisset. Quamobrem, nos jam a Menelde de domo et curtillo revestiti, ad justiciam nos obtulimus, et, prestituto [1] placiti die, affuimus. Affuit Vivianus; nec unum ad cause sue probationem testem habens, Meneldis, uxor ejus, publice coram omnibus injustam viri sui calumpniam esse protestans, numquam se ei que calumpniabatur dedisse asseruit. Facta sunt hec coram subdecano, tunc Hugone, quem Coturnicem cognominabant. Oblatum itaque nobis a Menelde beneficium, post ejus obitum habituri, quievimus. Quod quando nobis obtulit, affuerunt Jesbertus Cospellus et Rascendis. Quando vero se nobis hoc dedisse recognovit coram subdecano, affuerunt, ex nostra parte : Judallus, presbiter de sancto Martino; Teodericus, presbiter sancti Michaelis; Fulbertus sancti Hylarii, Jocelinus de Mungervilla, Robertus major noster, Hugo cocus, Paganus serviens subdecani, Rainardus Aventii, Johannes clausarius. Ex parte Viviani : Gualterius sutor, mater ipsius Viviani cum viro suo. »

XVII.

De Godescallo majore totaque ejus familia a Gausleno de Leugis suisque fratribus servis datis; itemque de concessione terre de Fresniaco; sed et de calumpnia super predicto Godescalli dono a Milone facta et extincta.

2 nov. 1107. « Exemplis nobilium principum probabiliumque virorum satis copiose instruimur, quod unumquemque christianum oportet venerari sanctam ecclesiam Dei, ejusque possessiones, pro suarum facultate rerum, mente devota amplificare, ut illud premium mereatur assequi quod oculus non vidit nec auris audivit nec in cor hominis ascendit,

[1] Sic.

quod preparavit Deus dilectoribus suis. Unde ego Gauslinus de Leugis, fratresque mei Gaufridus, canonicus sancte Marie, et Milo, pro anima patris nostri et matris, et pro redemptione animarum nostrarum, donamus sancto Petro ejusque ecclesie, perhenni dono, Godescaldum de Campo Fauni, nostrum servum, et uxorem ejus, nomine Milesindim, totamque eorum procreationem filiorum et filiarum, tam habitam quam habendam, et omnes qui ex ipsis nascituri sunt. Damus quoque omnia que sunt eorum. Ut igitur nullius audax presumptio hujus doni firmitatem valeat infirmare, ego Gauslinus fratresque mei Gaufridus et Milo, Raherius quoque sororius noster, et Arroldus vicecomes, noster cognatus, et Hugo filius Aimerici noster propinquus, unusquisque nostrum, fide sua data, indissolubili conditione affirmavimus hoc donum, contra omnium invidiam calumpniantium defensando salvare. Nos quoque omnes, ut prenominati sumus, Godeschaldum uxoremque ejus cum filiis et filiabus, eos tenentes propriis manibus, obtulimus ad altare sancti Petri; transferentes eos de nostro jure in potestatem ecclesie, ut ita abbas et congregatio sancti Petri perpetuo eos possideant, acsi de familia sancti Petri, sub vinculo servitutis, ex atavis progeniti essent. Ipsi autem monachi sancti Petri, ob hujus doni gratiam, michi Gauslino, Jerusalem proficiscenti, dederunt XX[ti] marchas argenti, fratrique meo Miloni XX[ti] solidos. Godeschaldus autem et uxor ejus mox censum proprii capitis super altare posuerunt, hoc de se ipsis quod factum fuerat testificantes. Hec viderunt et audierunt quorum nomina subscripta patent. Actum est hoc in capitulo sancti Petri, II idus novembris, anno Dominice incarnationis MCVII°, Ivone Carnotis episcopante, Philippo regnante. Si quis autem hanc donationem cassare temptaverit, anathematis fulmine prostratus, in baratri abissum detrudatur sine fine tormentandus. Ex parte monachorum : Guillelmus Fulcho archidiaconus, Stephanus Rufus, Girardus Boellus; Helisendis, mater ejus; Hugo cocus, Chotardus, Hugo Berbellus; Ansoldus, frater ejus; Ernaldus vicarius, Joscelinus prepositus, Haimo prepositus, Robertus Aculeus; Johannes, filius Fulchonis; Rotbertus de Murcehinc; Teobaldus, filius Stephani; Hugo monetarius; Ansoldus, filius Godescaldi; Galterius de Cenomannis,

Adventius; Rainardus, filius ejus; Christianus, Galterius cocus, Salomon, Fulchardus, Gaufridus clausor; Rogerius, filius Herberti; Berengerius; Robertus, filius ejus; Arroldus; Ansoldus, filius Stephani. Ex parte Gauslini : Gausfridus et Milo, fratres ejus; Arroldus vicecomes, Raherius de Drocis; Hugo, filius Haimerici; Rainaldus de Posterula. Donum quoque cujusdam terre, que est apud Fresniacum, quam Gauslinus, pater eorum, sancto Petro dederat, prefati tres fratres Gauslinus, Gaufridus, Milo, sui assensus favore confirmaverunt. Berta autem, uxor Raherii, cum filiis suis, suo assensu donum prefatum de Godescaldo, coram subscriptis testibus, solidavit : Johanne, filio Ansoldi; Rainaldo Majoloth, Gauterio, Ursone, fratribus Raherii. Ex parte sancti Petri : Otranno de Mercato; Drogo, nepote ejus; Balduino de Carisiaco; Nivardo de Croto; Galterio, fratre ejus; Pagano, filio Chotardi; Guido minimo, Roberto majore, Rodulfo de Mitani Villare; Constantio, filio Girardi. Hoc beneficium collatum sancto Petro a fratribus suis Milo puer inprimis cum eisdem concessit; pro qua concessione palefridum de XX solidis ei dare pepigimus. Sed postea, malo consilio ductus ut puer, totum quod promiserat se assecuturum denegavit, hoc dicens quod, eadem die qua factum est pactum, XX solidos habere debuit; et in hac calumpnia per spacium trium annorum, usque ad mortem scilicet Hugonis vicedomni, cognati sui, res ista pependit. Sed cum eum, prout potuimus, honorifice sepelissemus, et ille, cum aliis amicis ejus, tali casu tanti viri vehementissime doleret, pro ejus anima, totum quod injuste contra nos de hac re, scilicet de Godeschaldo, egerat, emendare promisit; veniensque in capitolium nostrum, donum hoc, quod fratres sui fecerant, sicut ipse, ex parte sua firmavit. Ita etiam in manu Ansoldi, filii Godeschaldi, dedit, se contra omnes, quantum posset, hoc esse defensurum; accipiensque Godeschaldum et uxorem ipsius et filios, manu propria eos super altare posuit. His audientibus : Gaufrido, fratre ejus; Hugone de Leugis, Garino Bucello; Guarino, majore ejus de Campo Fauni. Ex nostra parte : Ansoldus infans; Ansoldus, filius Godeschaldi; Hildegarius, filius Girberti de Coruleto; Gualterius cocus, et Roscelinus, filius ejus; Gaufridus et Gilduinus coci; Ernulfus, filius Girardi de Sancto Georgio; Stepha-

nus Belis; Gausbertus, filius Hildegarii; Gislebertus, filius Adventii; et plures alii. »

XVIII.

Quomodo Fulco subdecanus beneficium, a patre suo sibi relictum, ecclesie nostre donavit; et de calumpnia a Salomone et filiis ejus super eodem dono illata, et, mediante terre cujusdam emptione, depulsa.

Fulco, subdecanus ecclesiæ sanctæ Mariæ Carnotensis, quoddam beneficium, olim patri suo Herbranno a monachis sancti Petri gratis præstitum, eisdem monachis donavit, præsente abbate Guillelmo et testibus quorum hæc sunt nomina : Teobaldus, filius Stephani; Hugo Bos, Hugo de Bercheriis, Hugo de Leugis, Alcherius vicarius, Tebaldus, Guinebertus canonicus, Hubertus Bodinus, Roscelinus, Gaufridus clausarius. Huic donationi adversabantur Salomon, patruus Fulconis, et ejusdem Salomonis filii. Cum vero aliquanto post præfatus Salomon et filii sui quamdam terram suam monasterio sancti Petri vendidissent, intercessioni, qua donum Fulconis subdecani oppugnaverant, renuntiaverunt, et proprias domos in renunciationis pignus obligaverunt. 1101-1129.

XIX.

De libertate Gaufridi Boschet, simulque de rebus pro eadem libertate ab eo dimissis.

« Ne cujusquam vel depravetur malicia quod bene gestum est, vel ignorantia demutetur, ego frater Willelmus, monasterii sancti Petri Carnoti, Dei gratia, humilis minister, omnibus scriptum hoc legentibus notum esse volo, quia Gaufridus, qui cognominatur Boschet, qui erat nataliter de familia ecclesie nostre, ut inferius descriptam libertatem sibi obtineret, venit in capitulum nostrum, et dimisit monasterio nostro omnia que, sibi a patre suo Gualterio dimissa, ipse vel feodaliter vel censualiter tenebat ab ecclesia nostra : hoc est feodum de Coquina, sicut eum sive in annona sive in denariis sive in quibuslibet aliis rebus habebat, unam quoque domum in hac valle nostra, et quicquid census ubicumque habebat, totamque terram quam habebat sive in Reconis Villari sive in Campo Fauni. Et si quid aliud vel feodaliter vel quocumque alio modo ab ecclesia nostra tenebat, sed et quicquid Anno 1127.

hereditatis jure sibi forte aliquando contingeret, quod ad eumdem feodum vel censum pertineret, omnia, sicut dictum est, pro obtinenda superius descripta libertate, dimisit ecclesie nostre, consensu et concessu uxoris sue Hersendis et filii Radulfi et filie Juliane, sororum quoque suarum Hersendis atque Agathe, et reliquorum propinquorum suorum; sub jurejurando, una cum predicta uxore sua, promittens, quod faceret hoc concedere quoscumque posset parentes et propinquos suos, et quod contra omnes qui jure propinquitatis aliquid calumpniari possent, nominatim autem contra filios Roscelini, ea nobis, quantum legitime posset, defenderet atque quietaret; hoc quoque sub eodem sacramento addens, quod filium et filiam suam, cum ad id etatis venerint, hoc ipsum facere faceret. Propterea ergo ego Willelmus et totum mihi commisse congregationis capitulum, predicto Gaufrido libertatem quam petebat, et ipsi et uxori sue et filio et filie concessimus, eosque, ab omni servitutis vinculo absolutos, plene et integre libertati restituimus; hujusque manumissionis scriptum eis facientes, concessimus et concedimus, ut et ipsi et tota eorum successio nunquam deinceps servitutis nec nota nec nomine obscuri, sed plene et integre libertatis titulo illustres habeantur et clari. Quamobrem et ipse Gaufridus ligium mihi hominium fecit, et successuris mihi abbatibus se similiter facturum promisit, atque hoc ipsum suos qui jam nati erant heredes, cum ad etatem venerint, facturos spopondit. Testes : Hugo de Leugis; Hugo, nepos decani, ambo sancte Marie prepositi; Guillelmus Ansoldi, cum filiis suis Ansoldo atque Guillelmo; Ansoldus, frater Guillelmi; Guillelmus de Belvidere; Gaufridus, filius Ivonis; Ivo de Porta Morardi, Garinus de Alona, Furredus, Chotardus de Porta Morardi. Acta sunt anno MCXXVII°. »

XX.

Quomodo domus Natalis, empta a Roberto, calumpniata a Mainardo, sed postmodum, mediante quodam pacto, concessa, dono ejusdem Roberti ecclesie nostre sit facta.

Ante a. 1116. Presentibus et futuris notum sit et certissimum, quod Natalis quidam, Radulfi filius, moriens, quamdam domum suam reliquit in manu

Brientii, presbiteri sancti Hylarii, ut eadem domus venderetur, et precium ejus, partim pro salute ipsius in beneficio expenderetur, partim quibus erat debitor solveretur. Hanc igitur domum Robertus, subsecretarius sancte Marie, predicti Natalis sororius, emit VI libris et X solidis de manu Brientii presbiteri, presentibus et videntibus monachis sancti Petri, Rainardo preposito et Rainaldo monetario, et multis aliis secularibus viris. Postmodum vero huic emptioni calumpniam intulit Mainardus, predicti Natalis et uxoris Roberti avunculus, et alii plures eorum consanguinei; quamobrem diu inter eos concertatum est et sepe placitatum. Postremo vero eorum contentio tali definitione conquievit : statutum est enim inter eos et pacifica conventione firmatum, ut Robertus et uxor ejus, quandiu viverent, predictam domum quiete ac libere possiderent, ita tamen ne eorum negligentia domus excideret aut in aliquo deterior fieret. Sed si, dum viverent, eamdem domum vel sani vel infirmi dimittere vellent, precium, quod pro ea dederant ab illis ad quos eadem domus hereditario jure pertineret, exigerent; et si intra XL dies, ab eo die numeratos quo petitum esset precium, illud ad integrum recepissent, domum illam perpetuo retinendam relinquerent; sin autem, jam de cetero cuicunque vellent domum suam omni hereditario jure absolutam darent aut venderent. Sciendum etiam inter eos statutum esse et communi pacto firmatum, ut quilibet eorum, altero decedente, superviveret, Robertus scilicet vel uxor ejus, domum predictam aut possideret, si vellet, aut, prefinito ejus precio petito, sive sanus esset sive infirmus, heredibus eam perpetuo retinendam relinqueret. Quod si precium requisitum aut negaretur aut intra terminum constitutum non redderetur, jam deinceps cuicunque vellet eamdem domum, omni hereditario jure absolutam, dare aut vendere posset. Huic conventioni testes affuerunt ex parte Roberti : Hugo de Leugis, subdecanus; Gaufridus de Leugis [1]; Hugo, decani nepos, prepositus; Walterius archidiaconus, Ansoldus, Godeschallus, Gualterius de Bercheriis, Odo Quitellus, Erembertus, Robertus de Valeia. Ex parte Mainardi : Stephanus, filius

[1] Ordinatus episcopus a. 1116.

Rogerii; Rotbertus Aculeus, Teobaldus Tepheri, Alcherius Grossinus, Barbous, Ernaldus Rogrini, Gunterius, Fulcaldus, Lambertus vicarii. Post hanc concordiam, ceperunt dicere propinqui non tantum fuisse in debito defuncti, quantum Robertus exigebat; ideoque convenire deberent ad inquirendum quanta fuisset debiti summa; quod et factum est. Cumque convenissent, multis ex utraque parte congregatis, tam clericis quam laicis, enumeravit Brientius presbiter defuncti debitum coram omnibus, sicut ipse defunctus confessus fuerat. Fuit autem summa totius debiti VI libre et XI solidi et VI denarii. Cumque primo de hac summa propinqui multa auferre conarentur, tandem, testificante presbitero sic se audisse a defuncto sicut ipse dixerat, quibusdam etiam ex parte propinquorum id ipsum confirmantibus, recognita est ab eis predicta debiti summa. XI tamen solidi et VI denarii, qui erant supra VI libras, ceciderunt de summa, eo quod Robertus eos habuerat de quibusdam vasis defuncti; de quadam caldaria X solidos, de quodam nofo XVIII denarios. Tunc renovata est prima concordia et confirmata, in tantum ut uxor Bernardi de Sancto Martino, filia scilicet cujusdam sororis defuncti, et frater ejus acquiescerent predicte concordie in presentia monachorum sancti Petri : Gaufridi de Sancto Leobino, Rainardi, Johannis de Curva Villa, Ieronimi et duorum canonicorum sancti Martini, Adelarde Rufi et Odonis. Hii fuerunt testes ex parte Roberti : Belinus, Gualterius Brito, Malparent; Fulbertus, nepos Gaufridi coci; Gualterius. Ex parte propinquorum : Alcherius Grossinus, Ernaldus Rogrinus, Garinus Bonellus, Hugo cocus. Et quia Robertus quod in predicta domo habebat jam dederat monachis sancti Petri in elemosinam, post suam sueque uxoris mortem habendum, sive etiam antea, si vellent, dictum fuit ibi a monachis et concessum a propinquis, ut, si a die quo ad monachos domus venerit, usque ad XL dies, VI libras monachis propinqui reddiderint, habeant domum hereditario jure possidendam; si autem usque ad XL dies, vel ipso XL° die, VI libras monachis non reddiderint, erit domus monachorum ad quicquid voluerint agendum. Hoc audierunt prope dicti testes. »

XXI.

De modio vini, qui presbitero de Manu Villari solebat annuatim reddi, pro dimidio vinearum agripenno nobis dimisso.

« Ne forte, ut in talibus contingere solet, oblivio aboleat, placuit nobis monachis sancti Petri his litteris inserere, qualiter convenit nobis cum Radulfo presbitero de Manu Villari et parrochianis ejusdem ville, de quodam dimidio agripenno vinearum, quem habebamus juxta ecclesiam eorum. Dabamus enim, ex consuetudine, per singulos annos, presbitero de Manu Villari, quicumque ille esset, duos modios inter panem et vinum : unum vini, alterum panis. Habebamus autem juxta ecclesiam illius ville dimidium agripennum vinearum, quem domnus Johannes de sancto Stephano possidebat ad vitam suam. Rogaverunt igitur nos presbiter de Manu Villari, Radulfus scilicet, qui tunc erat inde presbiter, et parrochiani ejusdem ville cum eo, ut daremus eis dimidium agripennum vinearum quem habebamus juxta ecclesiam, ad faciendam domum, ubi presbiter maneret, et ubi fraternitas eorum sederet; presbiter autem, ex consensu et voluntate parrochianorum, dimitteret nobis modium vini quem solebamus ei dare. Quod cum nobis videretur, adquievimus eis. Venerunt igitur in capitulum nostrum Radulfus presbiter de Manu Villari et parrochiani ejus cum eo, et domnus Johannes de sancto Stephano; et dedimus eis ibidem vineam, ad quod eam petebant, id est ad faciendum domum presbitero; ita tamen ut censum inde nobis redderent, concedente hoc donum domno Johanne de sancto Stephano; hoc scilicet pacto, ut haberet modium vini ad vitam suam quem presbiter dimittebat nobis. Presbiter autem dimisit etiam nobis in perpetuum modium unum vini quem solebamus ei dare, videntibus et concedentibus parrochianis suis. Hii sunt autem parrochiani qui interfuerunt : Odo Cum Barba, Mainardus Brito, Balduinus Burdo, Rogerius de Furno, Fulbertus, Rogerius Bigotus; Gesbertus, filius Fulberti; Grimoldus, Vitalis, Hubertus de Desertò; Radulfus, filius Ramuldis; Arroldus, frater ejus; Garinus, Petrus, Teo- Circa a. 1108.

36

baldus, Herbertus, Johannes, Oelardus, Rainaldus Magen; Gualterius, frater Oelardi. Ex nostra parte interfuerunt : Willelmus, presbiter sancti Hylarii; Robertus major, Durandus pistor; Gislebertus, filius Aventii; Gaufridus cocus; Robertus, filius Galonis; Christianus pelliparius. »

XXII.

Determinatio feodi Pagani de Sancto Germano.

1101-1129. « Quoniam Paganus de Sancto Germano sepe nos molestaverat de conventione quam habebamus ad eum, utile duximus, ego scilicet Guillelmus tunc abbas et fratres nostri, scripto et presentes et futuros, tam successores et familiares quam extraneos et adversarios, certificare quod ex conventione eidem Pagano debeamus, ne, si quando calumpnias nobis intulerit, certa defensione careamus. Notum sit igitur omnibus videntibus hoc cyrographum, quia pepigimus Pagano, quandiu in hoc seculo esse voluerit, quaque die dare duos panes, quales et quantos in refectorio nostro manducabimus, et duas stillas vini, quale in refectorio bibemus, sibi unum et uxori sue unum; quod si alter illorum obierit, nobis quoque panis ejus remanebit; et equo, si habuerit, prebendam unam eminam avene in quatuor noctibus. Si vero ipse Paganus vel uxor ejus, sive uterque ab hac exierint villa, ipsa die qua exierint et in crastino eumdem panem sunt recepturi; sed si amplius moram fecerint, donec redeant nequaquam illum accipient; et de prebenda sui equi eadem fuerit ratio. Istud cyrographum in capitulo nostro recitari audierunt hii quorum nomina subscripta sunt. Ex parte ejus : Hugo de Blesis, tunc prepositus; Herveus marescallus; Ernaldus, filius Rogrini; Radulfus Artus, Rainerius Pirarius; ex nostra : Ansoldus Berbellus; Ansoldus, Godescalli filius; Christianus pelliparius, Adventius miles; Gilo, filius ejus; Robertus major, Odo pistor, Robertus marescallus, Gualterius cellerarius, Richardus portitor, Malparent; Gualterius, Gualterius coci; Burevintus, Hergotus, Renerius Burgevin; Adelardus, frater Grossini. »

XXIII.

De quadam terra apud Campum Fauni Ermeline et filio ejus Adam quandiu vixerint concessa.

« Moris solet esse prudentium litteris mandare quicquid, delente oblivione, nolunt perdere. Unde ego Guillelmus, Carnotensis cenobii abbas dictus, tam presentium noticiam quam subsequentium, hujus scripti attestatione, procuro edoceri, terram illam, que est apud Campum Fauni, quam Dodo major ab Eustachio abbate tenuerat, quamque ipsius uxor, eo defuncto, XXX^ta nummorum solidis in relevamen collatis, quandiu ipsa superstes sive filius ejus, Adam nomine, esset, conditionaliter susceperat, sed hac pactione, mora elapsi temporis interposita, in oblivionis ignorantia sepulta, postea vero a prefata muliere, lege placitandi testiumque probatione, legitime manifestata, me eidem mulieri, nomine Ermeline, filioque ejus, conditione qua prius susceperat, reddidisse, teste horum audientia quorum hic subtitulamus nomina : Robertus infirmarius, Odo pistor, Christianus ostiarius; Guillelmus, filius Gilduini majoris. Ex parte mulieris : Godescallus, Radulfus fratres; Gisbertus; Garinus, filius Bernardi. » 1101-1120.

XXIV.

De libertate Hildegarii concessa.

« Civitatis hujus, Carnoti scilicet, notum sit omnibus, quod calumpnia qua monachi sancti Petri in servum calumpniabantur Hildegarium, filium Alberici talemerarii, sic acta est et finita. Reclamabant igitur pro servo monachi sancti Petri predictum Hildegarium, dicentes iccirco sui esse juris quod, quando pater illius Albericus in servum se eis dedit, ipsum quoque Hildegarium, filium suum, servituti eorum secum mancipavit. Hildegarius vero omni modo resistebat, affirmans se natum liberum, nec in servum vel eis vel cuique datum unquam fuisse, immo et, pro sua defendenda libertate, ad quicquid sibi judicaretur facien- 1101-1120.

dum paratissimum esse. Cum igitur monachi eum tam constanter suam viderent velle defendere libertatem, se vero non satis idoneas et firmas probationes habere, quibus eum sue servituti subicerent, nolentes pro hujusmodi querela illum amplius molestare, libertatem quam sibi ipse defendebat, quamque ei tollere non poterant, concesserunt. Venit igitur Hildegarius in capitulum beati Petri, cumque eo multi quos ipse pro testimonio secum adduxerat, in presentia domni Guillelmi abbatis et monachorum; ibique omnem quam sibi judicare auderent, abbati et monachis adversus eorum calumpniam obtulit defensionem. Abbas vero et monachi, suam se calumpniam non posse probare aut nolentes aut non valentes, sicut liber erat et liberum se dicebat, liberum esse, coram omnibus qui ibi tunc aderant, recognoverunt et concesserunt, et calumpniam quam prius fecerant, acsi injusta fuisset, dimiserunt. Monachorum sancti Petri in quorum presentia et audientia hec acta sunt, ut de multis paucos nominemus, sunt hii : Guillelmus abbas; Ernaldus [1], decanus sancte Marie; Hugo de PiatiVillare; Guillelmus, filius Leterii; Robertus Aculeus; Hubertus, filius Lamberti; Beringerius, et multi alii. Testes qui hoc viderunt et audierunt, tam ex parte Hildegarii quam ex parte monachorum, sunt hii : Galterius archidiaconus, Henricus prepositus; Stephanus, filius Rogerii; Adelardus Rufus, frater ejus; Ansoldus, filius Rogerii prepositi; Barbo, Teobaldus Clarum. »

XXV.

De rebus a Radulfo de Moneta, si sine legitimo herede moreretur, nobis dimissis.

« .... Ego Radulfus de Moneta, si hereditarie sobolis successione in reliquum vite mee, sicut nunc, privor, beatum Petrum, apostolorum principem..., monachosque ejus, exigue mee possessionis, assensu proprie conjugis, heredes instituo; et hec que possidere videor, scilicet domos, unam in Moneta, alteram in Mascello sitam, ortumque apud Lusiacum, pre magne utilitatis precio non parvipendendum, et duos

[1] Hujus nomen in quibusdam chartis legitur ab a. 1092 usque ad a. 1120. *Gall. Christ.*, t. VIII, col. 1198.

agripennos vinearum in Manu Villari, post meum meeque conjugis obitum, eis libera donatione, teste horum audientia, confero : Ernaldi, Fulcherii monetariorum; Galterii, Gaufridi, Richardi, Odonis pistoris, Girardi, Gisleberti. »

XXVI.

De rebus ab Arnulfo, filio Osburgis, Ierosolimam proficiscente, si non rediret, ecclesie nostre datis; simulque de una ante crucifixum lampade illuminanda. Sciendum est quod vicesimum quintum ab isto loco capitulum, illud videlicet quod est in ordine LXVI, pro isto est habendum, quia multo melius multoque cautius de hac eadem agit causa[1].

« Ego quoque Arnulfus, Osburgis filius, perituram Jerusalem peregre 1101-1129
proficiscens, portione que mihi contingit substantie beatum Petrum monachosque ejus munero; hec eis relinquens, si in hujus itineris itu obiero : videlicet X libras denariorum, cum dimidio V agripennorum vinearum, duasque dimidias domos, terciamque totam post mee conjugis obitum, cum dimidietate pignerum que mihi Rosellus de Sancto Andrea noscitur appignerasse; sed et dimidium agripenni vinee ad illuminandam lampadis, ante crucifixum jugi flamma noctu ac die flagrantis, lucernam, quem sub mee conjugis cura dimittendum censui. Que, si, feminee tenacitatis parcitati avare studens, ignem lampadis negligentiore olei suppletione foverit, admonitione ut emendet sollicitetur; si contempserit, uni ex propinquis meis, qui hanc curam alacriter exequatur, vinea dimidii agripenni tradatur; sin alias, sacristes ecclesie in proprii arbitrii potestate eam asciscat, et, ut sitis exhaurientis jam dicte lampadis postulaverit, subministratione olei inde sufficienter provideat. De quinque autem dimidiis agripennis, in monimentum doni, quoque anno monachis, quousque sint certi me obitui an reditui paruisse, duos vini modios dari statui. Horum dictorum et factorum isti existunt testes : Laurentius, Alo, *etc.* »

[1] Altera charta, cujus hic mentio, prodibit inferius.

XXVII.

De libertate Dodonis cyrographum.

1130-1150. « In ejus nomine qui, ut servum redimeret, filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum Jhesum Christum Dominum nostrum. Ego frater Udo, monasterii sancti Petri Carnoti humilis abbas, et mecum tota cui presum ecclesie nostre congregatio, omnibus tam presentibus quam futuris fidelibus, ex hujus cyrographi noticia notum esse volumus, quod, totius capituli nostri communi assensu, manumisimus Dudonem, cognomine Brittellum, filium Teobaldi, qui erat de familia ecclesie nostre. Eum ergo, sicut dictum est, ingenuum fecimus; atque ab omni servitutis nostre vinculo, cum omni posteritate sua, absolutum perpetua libertate donavimus, fidelitate erga ecclesiam nostram et libero hominio ex more retento. Cujus rei testes sunt isti : ex parte ecclesie nostre, Hugo de Leugis, prepositus sancte Marie; Andreas de Sancto Carauno, Floherius, Gislebertus, Girbertus de Cavanis, Coragius, Gosbertus Cospel, Ernulfus sacristes; ex alia parte, Gauslinus de Leugis, Amalricus de Levesvilla, Robertus de Trembleio, Guerricus Osculans Diabolum, Hubertus Mordant, Rainaldus de Britiniaco, Teobaldus Claron et Gislebertus, gener ejus. »

XXVIII.

De rebus ab Arnulfo datis et ab Augarde uxore ejus emptis.

1101-1129. Augardis, filia Harduini, cognominati Noise, emit a capitulo sancti Petri, cui præerat abbas Guillelmus, nullo expresso pretio, omnia quæ eidem capitulo dederat Arnulphus filius Osburgis [1], prior ejusdem Augardis conjux, testibus his : Adventio, cum Hainardo filio ejus; Laurentio, Gaufrido et Johanne coquis; Odone pistore; Harduino, patre Augardis; Rogerio et Guidone, fratribus ejusdem; Stephano, filio Rogerii; Stephano Herici; Arnaldo vicario, et nepote ipsius Guineberto.

[1] Donationem Arnulfi habes supra, c. XXVI.

XXIX.

De mortuo bosco in Teomer a Gervasio de Castro Novo nobis ad focum dato, et ab uxore et filiis ejus concesso.

« Quoniam internus cordium speculator non tam muneris magnitudine quam sincera devote mentis placatur intentione, ipsa veritate, que Christus est, sic approbante, quia qui dederit calicem aque frigide in nomine meo, mercede propria donabitur; iccirco ego Gervasius, Novi Castelli naturalis dominus, monachis sancti Petri Carnotensis, pro redemptione anime mee, quatinus, ipsius principis apostolorum meritis opitulantibus, celestis regni mihi magno peccatori pateat introitus, concedo, inviolabili perhennitate, ut in boscho meo Thremerio, de mortuis arboribus et arefactis, continui lignarii copiam sibi colligant, cujus sufficientia cunctis focis officinarum suarum, id est culine, pistrini, domus infirmorum, necnon et ceterarum, valeat abunde ministrare incendia larga, famulis eorum et jumentis, huic cure deputatis, data securitate in eundo et redeundo ab omnibus quos justificare potero. Ipso[1] autem monachi, cum ego vel uxor mea obiero, solito sepulture officio me tumulare, utpote filium ecclesie sue, decreverunt. Unde, annuente conjuge mea cum filiis meis Petro, Gervasio, Guascone, Hugone, super altare sancti Petri propria manu, his qui sunt subscripti astantibus, hujus beneficii donum offero. Rogo etiam humili supplicatione omnes qui post me futuri sunt mee hereditatis possessores, quatinus et ipsi, pro refrigerio animarum suarum, huic largitioni assensum sue benignitatis prebeant. Quod si quis eorum hanc misericordie elemosinam predictis servis Dei subtrahere temptaverit, anathematis sententia in eum jaculata, judicium sine misericordia sustineat, in eternum puniendus. Ex ejus parte : Odo prepositus, Robertus de Medanta, Willelmus de Fraxineto, Hugo Curtinus; Gualterius, filius Garini. Ex nostra parte : Laurentius, Teduinus fra-

[1] Sic.

tres Joeli; Rainardus Malis Herbis, Gauterius, Gaufridus, Gilduinus coqui; Christianus janitor; Gauterius, frater ejus; Odo pistor. Hoc adhuc distinguendum, quia, si aurigis aliquis apparatus bigarum defecerit, licebit eis absque calumpnia de viridi bosco reparare. Testes infra scriptos ubi videris crucem, si opus fuerit, hic poteris revocare. †. »

XXX.

Cyrographum primam modificationem privilegii pape Paschalis cum Fulcone subdecano continens, simulque feodum ab eodem Fulcone dimissum summatim commemorans.

1101-1129. « Nota fuit omnibus dissensio Willelmi abbatis et totius conventus et Fulconis subdecani. Firmaverat enim Pascalis papa ecclesie sancti Petri quoddam privilegium, in quo liberas ostenderat ecclesias sancti Hylarii et Manuvillaris, et ecclesiam Campi Fauni; videlicet sacerdotes et cimiteria et parrochianos omnes ab omni gravamine et inquietudine subdecanorum quietos stabilivit [1]. Hec autem dissensio, ex consensu utrorumque, sic sedata fuit, quatinus monachi libertatem ex integro ecclesiarum predictam, cum benivolentia Fulconis subdecani, semper obtinerent, usquequo capitulum sancte Marie concordiam, quam prolocuti fuerant Willelmus abbas et monachi et Fulco subdecanus, laudasset et sigillo confirmasset. Hec autem est concordia. Sacerdotes et cimiteria predictarum ecclesiarum ab omni vexatione et subjectione decanorum et subdecanorum libera sunt. Parrochianos vero abbas Willelmus et monachi, pro amore totius capituli et Fulconis subdecani, decanis et subdecanis concedunt esse subjectos, preter fevatos et servientes de pane suo et vino viventes. Quos parrochianos si decanus vel subdecanus excommunicaverint, et hanc excommunicationem in ecclesiis monachorum fieri voluerint, hoc abbati vel priori mandabunt, ut per eos excommunicentur. Concordia vero supradicta inter monachos et subdecanum in tantum amorem crevit, quod subdecanus ore suo confessus est, patrem suum habuisse fevum in ecclesia

[1] Vide supra, privilegium papæ Paschalis, cap. I, p. 257.

sancti Petri, ad usum suum et filiorum suorum. Inde sibi placuit fevum suum ipsum, pro amore Dei et salute anime patris sui et redemptione peccatorum suorum, donare ecclesie sancti Petri. Pepigit etiam, si ab aliquo calumpniaretur dum viveret, ab omnibus juste liberaret. »

XXXI.

De IX arpennis terre apud Cereris Villam a Theobaldo Cheron datis, simulque de quadam domo et uno vinee dimidioque arpenno eidem Teobaldo et uxori ejus Elysabeth a nobis concessis, post utriusque obitum ad nos redituris.

« Litteras istas legentibus notum esse volumus, quod homo quidam Teobaldus, cognomine Cheron, et uxor ipsius Elisabeth, post suum utriusque obitum, huic nostro monasterio novem arpennos terre apud Cereris Villam, cum uno viridario et duabus grangiis, in elemosinam contribuerunt. Quam videlicet terram idem datores, sicut in feodis diversorum dominorum libere emerant, quiete et sine calumpnia possidebant, ita etiam libere et quiete ecclesie nostre dederunt, hoc modo divisam : in feodo Amaurici de Levesvilla duos arpennos; in feodo Galterii Qui non bibit de aqua VII quadrans; in feodo Pagani de Fens IIII^or arpennos et duas nummatas census; in feodo beate Marie I arpennum et dimidium; in qua videlicet parte predicta hospitatura continetur. Sciendum quoque et domum ipsam in qua in urbe hac habitant datores predicti, et unum arpennum vinee apud Mesnilia, et dimidium in clauso Teobaldi, a priore conjuge Elysabeth et ab ipsa nobis data, eidemque Elisabeth et huic secundo marito ejus Teobaldo, dum advixerint, a nobis concessa, post utriusque obitum ad ecclesie nostre possessionem reditura. Testes : Radulfus, presbiter de Vitriaco; Rainerius Havart, Haimericus, Gilduinus, Herbertus de Cereris Villa, Gilduinus cementarius, Petrus sartor, Adelardus, Matheus. » Circa a. 1114.

XXXII.

Cyrographum de fevo Fulchardi vendito ab ipso cuidam Christiano et a Christiano, partim in vita sua, partim post mortem suam, cum domo quadam ecclesie nostre dimisso.

1101-1129. « Noticie succedentium, presenti scripto, ego Guillelmus abbas ceterique fratres capituli tradimus, quod Fulchardus et Hersendis uxor ejus, annuente Ingelranno filio eorum et Alburge filia et Odelina ejus filia, vendiderunt suum fevum panis et vini et annone, quod a nobis tenebant, Christiano et uxori ejus, VI libris et XII solidis; ad quod fevum pertinebant due mensure vini et unus panis et VIII sextarii annone. Christianus autem hanc annonam dimisit nobis, et nos dimisimus ei servicium istius fevi. Concessimus quoque ei ut panem et vinum acciperet de refectorio, et, quando monachis, propter raritatem vini, sua mensura restringeretur, similiter Christiano recideretur. Hoc autem fevum Christianus, amore nostre ecclesie, emit; nam, post suum et sue conjugis obitum, sancto Petro ex toto reliquit. Emit quoque quandam domum C solidis, quam similiter sancto Petro, post suum conjugisque obitum, pepigit dimittere. Fulchardus autem dedit Christiano capitulum testem et plegium contra omnes calumpniatores, presentibus subscriptis testibus. † Venditores : Fulchardus; Ingelrannus, filius ejus; Hersendis, Alburgis; filia ejus Odelina. [1] Berengerius, Alo, Gosbertus, Hugo, Ansoldus, Berbellus, Guido, Fulbertus clericus, Tadulfus; Ansoldus, frater ejus; Hermannus, Gunterius, Hulduardus. »

XXXIII.

Cyrographum inter nostrum et Blesense cenobium, de censu terre de Porrardi [2] et de censu excluse de Groslu continens pactum.

1101-1129. « Notum sit omnibus tam presentibus quam etiam his qui nobis successuri sunt, quod fratres Carnotensis cenobii beati Petri clausulum

[1] Supplend. est, *Testes.*

[2] Sic; sed legend. *de Porta Morardi.*

vinee quoddam habebant apud Portam Morardi, unde sancti Launomari monachis XX denarios in censu reddebant. Accidit autem ut, in eadem terra, agripennum unum vinee emerent, de quo similiter beato Launomauro XII denarii censuales reddebantur. Decima quoque tam clausuli quam agripenni sancti Launomari erat. Tempore itaque quo Willelmus abbas Carnotensi cenobio presidebat, jam dictum clausulum et agripennum ad hospitandum quesita sunt. Qua de re, cum Blesensis abbatis, de cujus censu erant, licencia quereretur, hoc additum est ut decima quoque, ad majorem deliberationem, sub censu poneretur. Concessit igitur Mauricius abbas [1], cum assensu capituli sui, ut clausulum et agripennum hospitarentur, decimaque sub censu poneretur : ita videlicet ut clausulum, quod XX denarios census debebat, XVI denarios pro decima redderet; agripennum vero, quod XII denarios census reddebat, totidem pro decima redderet, et ita in summa V solidi essent reddendi monacho vel majori sancti Michaelis, ad festum sancti Remigii. Habebant autem monachi sancti Launomari exclusam quamdam in terra sancti Petri, ad Groslu, de qua eidem sancto tres solidos census debebant. Pro recompensatione ergo tanti beneficii, Guillelmus, Carnotensis abbas, cum assensu capituli sui, ex his tribus solidis duo condonavit, unum solummodo retinens reddendum ad festum sancti Remigii. Hec conventio firmata est in utroque capitulo, videntibus his testibus : ex parte capituli sancti Petri, Hugone Berbello, Christiano pelliparo, Gausfrido Bosco; Otranno, qui vendidit prefatum agripennum vinee; ex parte sancti Launomari, Bartholomeo, Petro de Mafia, Rainaldo Aculeo; Arnaldo, nepote ejus. »

XXXIV.

De medietate molendini Comitisse et medietate molendini Herle ab Ebrardo Bonesmains datis.

« Noverint omnes qui scriptum hoc legerint quod Ebrardus, sancte Marie canonicus, qui a Vitale patre suo, patrio agnomine, cognomi-

[1] Quo anno electus fuerit, quoque obierit incertum est.

batur Bonesmains, quando ad monachatum venit, donavit ecclesie nostre in elemosinam medietatem illius molendini qui dicitur molendinus Comitisse, ab omni consuetudine omnino liberam et quietam, sicut et ipse eam et pater suus Vitalis possederat. Quam molendini partem predictus Vitalis a comitissa Berta taliter conquisierat, quod si, in loco ubi nunc est, facere posset molendinum, medietatem ejus et sibi et heredibus suis ab omni consuetudine atque servitio liberrimam perpetuo possideret. Predictus itaque Ebrardus et istam medietatem sibi a patre suo dimissam nobis, sicut dictum est, dedit, et rursus illius qui dicitur molendinus Herle medietatem nichilominus ecclesie nostre tribuit, et ipsam ab omni prorsus consuetudine liberrimam. Utramque autem utriusque molendini medietatem etiam comes Teobaldus, cum forte esset in camera canonicorum sancti Stephani, a quibusdam nostratibus postulatus, videntibus quorum nomina inferius scripta sunt, ecclesie nostre concessit, dans nobis insuper totum quod in reliqua molendini Herle parte habebat dominium. Gaufridus quoque furnarius, qui, post comitem, tocius ejusdem molendini Herle dominium habebat, et datam a predicto Ebrardo medietatem et totum relique dominium, et prius in Brigia et postmodum in capitulo nostro, nobis concessit. Sed et Johannes Bonemanus, predicti Ebrardi frater, et Bartholomeus filius Hugonis de Reciaculis, omnes quoque filii Rainaldi de Posterna et filie hoc utriusque dimidii molendini donum, libenti omnes animo, concessere. Testes : Guarinus major, Baldricus, Robertus major, Matheus, Magenardus, Robertus, Bretellus, Floherius, Ernaldus. »

XXXV.

De terra de Bello Loco et duabus domibus a Hugone de Besvilla et Maria uxore sua datis.

« Terrene quisquis substancie possessor nunquam melius celestem sibi hereditatem acquirit, quam com temporalis fructum possessionis pauperum Christi usibus, beatitudinis eterne contemplatione, ascri-

bit. Veritatis hujus sentenciam Maria, uxor Hugonis de Besvilla, firmiter tenuit, beatam certitudinis hujus spem fideliter expectavit, que suam terrene substancie porcionem in pauperum elemosine nostre jus possessionemque perpetuam transferre magna ex parte sategit. Aliquando enim vehementer egrotans, egit solertem apud eumdem seniorem suum, ut, quia ipsa non poterat, egritudinis obsistente incommodo, ipse in capitulum nostrum veniret, et tres agripennos terre, quos apud Bellum Locum habebant, pauperibus elemosine nostre, pro sua suorumque salute atque incolumitate, daret. In cujus terre scilicet pignus testimoniumque, ut quemdam puerum, quem ipsi, nec patrem nec matrem habentem, pro Dei amore hactenus nutrierant, ipsi deinceps nutriri, vestiri docerique faceremus pecierunt; obsecrantes ut, si quando ad id etatis probitatisque evaderet, vel presbiter in quacunque ecclesiarum nostrarum, si vellet, vel monachus ordinaretur. Dederunt insuper nobis duas domos, post utriusque de presenti vita decessum, habendas. Venerunt autem, cum Hugone, in capitulum nostrum duo homines, Guerricus et Hugo, qui hec ita esse testificantur. Ex nostra autem parte affuerunt : Frodo; Petrus, nepos abbatis; Gilduinus et Durandus cementarii, Rainoldus, Robertus, Ricardus. »

XXXVI.

De libertate Radulfi Conduit, et de stallo ad Portam Novam cum tota portione substantie sue dato pro eadem libertate.

« Ego frater Willelmus, monasterii sancti Petri Carnoti, Dei gratia, 1101-1129.
humilis minister, omnibus et qui modo sunt et qui postmodum futuri sunt fidelibus notum esse volo, quod Radulfum, cognomento Conduit, qui in familia hujus nostre ecclesie ea de causa venerat, quia filiam Hugonis de Villa Nova, hominis nostri, uxorem duxerat, consensu totius capituli nostri et concessu, cum uxore sua et omnibus liberis suis manumiserim, eosque ab omni servitutis nostre jugo integre absolverim, pleneque libertati restituerim; ita ut amodo nemo eorum qui mihi in hoc loco successuri sunt, quique in hoc monasterio futuri

sunt, eos ulterius pro servis reclamare, aut aliquo modo in servitutem reclamare possit. Liberum tamen hominium, tam mihi quam futuro post me abbati, in ipso Radulfo filioque suo retinui, et fidelitatem erga ecclesiam nostram jurare feci. Sciri etiam volo, quia predictus Radulfus, consensu uxoris filiorumque suorum, ob recuperate libertatis gratiam, donavit ecclesie nostre in elemosinam unum stallum ad Portam Novam, VIII vel X solidos, plus minus, annuatim valentem, simulque totam que se post decessum suum continget proprie substantie portionem. Hanc autem manumissionis nostre paginam, ne calumpniosi cujusque patere possit insidiis, tam subscriptorum testium astipulatione quam sigilli nostri impressione volui communiri. Gualterius archidiaconus, Hugo de Leugis prepositus; Hubertus Rufus, urbis prefectus; Heraldus sellarius, Christianus, Ebrardus Gabet, Goinus, Sirardus, Girardus, Gaufridus, Rogerius, Teherius, Amalricus de Levesvilla, cum filio suo Ebrardo et Girardo. »

XXXVII.

De libertate Giroardi, pro quodam fisco obtenta.

1079-1101. Giroardus quidam, servus sancti Petri Carnotensis, ab abbate Eustachio, annuentibus monachis, manumissus, fiscum seu feudum, quod a monasterio tenebat, eidem monasterio dimittit, addens etiam X libras denariorum, præsentibus, cum abbate Eustachio, Mainardo, Paulo et Huberto monachis; testibus : ex parte Giroardi, Gualterio de Alneto, Rainaldo fratre ejus, Teudone Tronello, Tetboldo sororio Tronelli; ex parte monachorum, Gumbaldo, Laurentio, Gisleberto, Gaudio, Gualterio et Adventio sartoribus, Stephano majore.

XXXVIII.

De libertate Petri Harpini.

1130-1150. Abbas sancti Petri Carnotensis Udo, annuente omni monachorum cœtu, manumittit Petrum Harpinum, filium Theobaldi, retentis, ex more, fidelitate et libero erga monasterium sancti Petri hominio. Testes : ex parte monachorum, Hugo de Leugis præpositus sanctæ Mariæ, Andreas de Sancto Carauno, Girbertus de Cavanis, Coragius, Gosbertus Coispel;... ex alia parte, Gauslenus de Leugis, Amalricus de Levesvilla, Guerricus Osculans Diabolum, Robertus de Trembleio, Hubertus Mordant, Rainaldus de Bretiniaco, Bernerius de Osenvilla, Teobaldus Claron et Gislebertus gener ejus, Barbodus.

XXXIX.

Donum Stephani comitis de quadam ancilla sua Legarde factum.

« Quicumque obligatum sibi hominem, propter amorem Dei, a debito relaxat servitio, premium sibi ab eo confidat sine dubio in futurum, dicente ipso per prophetam : *Dimitte eos qui confracti sunt liberos, et omne onus disrumpe. Tunc invocabis et Dominus exaudiet; clamabis et dicet : Ecce adsum.* Quapropter ego Stephanus[1], Carnotensis comes, et uxor mea Adela, notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod adiit presentiam nostram Eustachius, abbas sancti Petri Carnotensis, benignissime nos interpellans, ut, in Christi amore, pro remedio animarum nostrarum, sibi et congregationi monachorum ibidem Deo militantium daremus quandam ancillam nostram, nomine Legardem, cum omni sua filiorum procreatione. Quod, quia petitio ejus justa et idonea apud nos videbatur esse, libenti acquievimus. Ut autem hec donatio per succedentia tempora firma et inviolabilis permaneat, propria manu, cum uxore mea, signavimus. † Signum Adele comitisse. Testes hujus donationis sunt hii : ex parte nostra, Bartholomeus qui cognominatur Bodellus, Hugo vicedominus, Robertus Aculeus et filius ejus; ex parte comitisse, Godefridus, dapifer ejus; Stephanus prepositus; Guido, filius Morini; Theobaldus, filius Stephani; Johannes, filius Fulconis; Stephanus monetarius. » 1089-1101.

XL.

Donatio servorum Roberti et Eremburgis.

« .... Ego Fredericus do ecclesie sancti Petri Carnotensis hunc meum collibertum, nomine Robertum, qui manet in villa que vocatur Cepe-

[1] Stephanus VI, quem etiam nonnulli Henricum vocant, comitatum Blesensem adeptus a. 1089, Palestinam petiit primum a. 1096, iterumque a. 1101. Captus a Sarracenis in Ramensi pugna, die 27 maii 1102, sagittisque transfossus, occubuit.

tus, ejusque sororem nomine Eremburgim, ut ab hac die sint colliberti sancti Petri, sicut sunt mei et omnes qui ex eis nati fuerint; et ex hoc manu propria scriptum firmo, cum mea uxore Emelina, et cum meis filiis et filiabus coram his testibus, *etc.* »

XLI.

De libertate Ermengardis, neptis Sigeboldi monachi, cyrographum.

1101-1129. « Noverint omnes et presentes et futuri, quod ego Willelmus, hujus sancti Petri Carnoti monasterii videlicet abbas, assensu totius capituli nostri, Ermengardem, Sigeboldi monachi nostri neptem, que in familia hujus ecclesie nostre eadem [1] causa venerat, quod Bartholomeo cuidam familie nostre homini nupserat, ipso defuncto, manumisi eamque integre libertati, sicut ante fuerat, restitui. Que, quia unam tantum filiam de eodem viro suo habebat, matri quidem, quam libertati donaveram, rerum omnium quas habebat, quasque cum predicto viro suo habuerat, medietatem immunem penitus quietamque concessi; filie vero ejus, que nostri juris remanebat, medietatem aliam retinui. Verum cum puella eadem ad etatem venisset, jamque nubilis nubere, si vellet, potuisset, Christo potius, sumpto religionis habitu, nubere maluit quam seculo. Cujus rei gratia, illam patrimonii sui medietatem, quam, cum ipsa, in jus nostrum retinueram, predicte matri sue omnino quietam, sicut et de alia feceram, et ad faciendum quicquid voluerit per omnia liberam, tam pietatis intuitu quam prefati avunculi sui Sigeboldi monachi et fratris nostri interventu, dimisi; ita duntaxat si puella, sicut proposuerat, in seculo minime remaneret. Testes : Ansoldus, filius Rogerii, cum Clemente, filio suo; Lambertus vicarius, Herbertus Pirarius, Odo et Robertus, fratres; ex nostra parte, Gislebertus sacrista. »

[1] Leg. *ea de.*

XLII.

De Viviano, Willelmi, pro cujusdam servi sui interfectione, servituti addicto.

« Notum esse volumus tam presentibus quam futuris, ego Arnulfus abbas et omnis sancti Petri Carnotensis cenobii mihi a Deo commissa congregatio, quod Vivianum nostrum collibertum, cum uxore sua, omnemque pecuniam ejus subjugamus servituti Willelmi militis, pro interfectione furtiva cujusdam sui servi, quem ipse et uxor sua latenter interfecerunt, et eo tenore eos dimittimus, ne occidantur pro hoc scelere. Filios vero quos nunc habent ad nostros retinemus usus; quos autem genuerint posthac, ejus servituti, pro hoc nefario pretitulato, dimittimus. Signum Arnulfi abbatis †. » 1013-1033

XLIII.

De terra a Garino, pro collata sibi libertate, dimissa.

« Ego Eustachius, Dei gratia, sancti Petri Carnotensis abbas,.... notum esse volumus.... quia adiit nostram presentiam quidam servus sancti Petri, Guarinus nomine, de Bermeri Villa, obnixe deprecans, ut eum a nodo servitutis absolveremus. Quod et fecimus una cum consensu domni Ivonis[1] episcopi omniumque monachorum nostrorum. Ipse vero Garinus guerpivit nobis terram quam de sancto Petro tenebat, addens etiam X libras denariorum.... Ex parte Garini fuerunt hii testes: Hugo de Galardone, qui, pro hac conventione et amore illius, noster homo effectus est et fidelitatem nobis juravit, omnibusque successoribus nostris idem facere, quandiu viveret, promisit; Gauslinus, Bartholomeus vicedominus, Robertus Aculeus; ex parte nostra, Stephanus major et Salomon, fratres; Rogerius, Arroldus agaso, Durandus, Urso monachus, Bernardus prepositus. » 1090-1101.

[1] Ivo, Carnotensis præsul sacratus novembri 1090, defunctus decembri 1115.

XLIV.

De areis inter nos et Chotardum commutatis, nostra scilicet juxta domum Brientii, Chotardi juxta domum Hugonis Berbelli sita.

1101-1129 « De quadam nostra area, que fuerat Gilduini separii, qualiter ego Willelmus, abbas sancti Petri, eam Chotardo dederim, si quis scire desiderat, hac in carta reperiet. Erat quedam area juxta domum Brienti presbiteri. Hec cum fuisset Gilduini separii, eo mortuo, filio ejus Rogerio possidenda remansit; sed et illo hinc in Apuleiam recedente ibique demorante, aree censum, qui ad nos pertinebat, per XL aut eo amplius annos nemo nobis reddidit. Unde factum est ut, secundum justiciam rerum, tam pro multitudine [1], quam pro forisfacto non redditi census, in nostrum jus area predicta deveniret. Erat autem quidam noster amicus, Chotardus nomine, habens uxorem quandam, cognatam prefati Rogerii. Hic igitur rogavit nos, ut aream illam, que fuerat cognati uxoris sue, tali modo daremus ei, scilicet ut, si ille aliquando veniret, si aream suam habere vellet, daret censum omnium annorum quibus non est datus, cum emendationibus illis que tali forisfacto conveniunt, et sic eam haberet; si vero hoc vel nollet vel non posset facere, remaneret sibi, id est Chotardo, et filiis suis jure perpetuo; aream vero aliam, quam habebat ex parte uxoris sue, que erat juxta domum Hugonis Berbelli, nobis solutam et quietam dimitteret, ad quicquid vellemus agendum. Huic petitioni ejus, quia amicus noster erat, annui ego cum fratribus, et in capitulo nostro, consilio fratrum qui aderant, de area nostra eum revestivi, et ipse me de sua, concedentibus uxore sua et filiis. Censum tamen aree quam dedimus ei reddet nobis singulis annis. »

[1] Fort. suppl. *annorum*.

XLV.

De quindecim solidis census et tribus arpennis vinearum datis ecclesie nostre a Roberto de Besvilla, pro rebus nobis a Stephano fratre suo datis.

« .... Et presentibus et futuris notificamus, quod miles quidam, 1102-1144
Stephanus nomine, filius Gaufridi de Besvilla, corporis egritudine preventus, ad monachatus remedium in hoc nostro monasterio confugit, et nobis, pro salute anime sue, plurima, de his que jure hereditario se contingebant, contulit. Quo facto, sequenti die, eodem ingravescente incommodo, defunctus est. At vero frater ejus, Robertus nomine, ...assensum fraterne elemosine denegans, nosque calumpniosis infestationibus diutius defatigans, longa itaque inter nos et ipsum contentionis altercatione protracta, tandem Robertus XV sol. census, et tres agripennos vinearum concordie gratia nobis obtulit.... quos.... accipere consensimus. Que scilicet concordia in curia comitis Theobaldi[1], ipsius voluntate et assensu, facta est, presentibus plurimis de proceribus ejus, quorum ex parte nomina subscripta sunt. Rotrocus, comes de Pertico[2]; Hugo de Castro Theoderici, Andreas de Baldimento, Hugo vicecomes, Ansoldus Godescalli, Ansoldus Rogerii, et plures alii. Cum Roberto autem fuerunt : Ivo de Porta Morardi; Gualterius Britellus, filius Ansoldi; Hugo de Besvilla.... Sciendum sane suprascriptum censum partim apud Casas, partim apud Bellum Locum, partim in hoc nostro suburbio esse. Nam capitalem censum de nostra ecclesia eatenus habuerat, qui ex tunc in jus possessionis nostre perpetuo cedere ab ipso Roberto, hujus occasionis obtentu, est concessus. »

[1] Theobaldus IV, cognomine Magnus, in locum patris sui Stephani successit a. 1102. Comitatus Carnotensem et Blesensem, una cum Adela matre sua, rexit usque ad a. 1122. Campaniæ comitatum accepit ab Hugone patruo suo a. 1125, obiit octava die januarii 1152.

[2] Ex cæterorum testium nominibus colligi potest hunc Rotrocum esse Rotrocum II, Gaufridi II filium, qui Perticensem comitatum habuit ab a. 1100 ad a. 1144.

XLVI.

Item alia[1] de rebus datis ab Arnulfo carta.

1101-1129. « .... Arnulfus, filius Osburgis, Ierosolimam peregre proficiscens, eorum que possidebat plurima huic ecclesie nostre contribuit perpetuo, quiete et absque ulla calumpnia possidenda : scilicet trium agripennorum et dimidii mediatem apud Falardi Villam quas[2] emerat a Leodegario; itemque dimidium agripennum vinearum ad illuminandam unam lampadarum ante Crucifixum; itemque dimidiam domum in terra nostra, quam habebat ante eam in qua ipse habitabat. Sed et eamdem domum, in qua eum habitasse dictum est, dedit nobis ipse, cum matre sua, habendam post decessum uxoris sue Augardis, eo quod domo eadem maritus suus eam dotavisset; dimidiam quoque grangiam in terra Ermengardis de Sumboum. Factum est in capitulo nostro, cui domnus Willelmus tunc presidebat abbas, presentibus atque concedentibus sepius memorati Arnulfi nepotibus Isembardo, Godefredo atque Radulfo, seque ipsos perpetue immunitatis fidejussores dedentibus. Affuerunt etiam neptes ipsius, cum maritis suis Gislefredo et Rainerio Feniculo, cum quibus hoc concesserunt. »

XLVII.

De feodo Gosberti, filii Galterii de Meenel, Alcherio, quandiu vixerit, concesso; decima scilicet Moncelli sancte Marie et sancti Prisci.

1101-1129. « .... Presentibus notum sit et futuris, quia ego Willelmus, abbas sancti Petri, quoddam fevum, quod a nobis Gosbertus quidam, famulus noster, tenebat, scilicet decimam apud Moncellum sancte Marie et apud sanctum Priscum, in terra Huberti de Feritate, Alcherio, filio Galterii cujusdam, monachi nostri, consilio et assensu fratrum, omnino sine servitio commisi, quoad ipse vixerit. Alcherius etenim fevum

[1] Vide sup. c. XXVI, p. 285. [2] Sic.

istud a Gosberto supradicto XII libris, post decessum suum, nostris usibus emit. De quo fevo si eidem Alcherio calumpnia quandoque succresceret, ei, absque nostri largitione, quibuscunque modis poterimus, auxiliabimur. Hujus rei testes ex parte Alcherii fuere : Hubertus Bodinus; Robertus, major de Ver; Robertus, cognatus ejus, de Pentoison; Ebroinus, frater ejus; Robertus, avunculus ejus; Herembertus de Mori Villare, Hubertus de Morentiis; Tecelinus, frater ejus; Ebrardus de Breteio. Ex nostra parte : Adventius miles, Gualterius coquus, Johannes coquus, Rainerius infirmorum, Laurentius, Noldardus, Odo de Gisiaco, Robertus Bigotus. »

XLVIII.

Quomodo Belinus de cellerarie, et Rainerius Tortus de pelliparie ministerio fuerit revestitus.

« Ego Willelmus, hujus cenobii sanctorum apostolorum Petri et 1101-1129.
Pauli dictus abbas, fratrum memorie his litteris commendo pactum quod fuit inter nos et Belinum, quando fecimus eum cellerarium nostrum; et pactum quod fuit inter nos et Rainerium Tortum, quando dedimus ei officium pelliparie nostre. Scire igitur debent tam presentes quam futuri hujus monasterii fratres, quod quidam homo noster Belinus erat pelliparius noster. Volens ad majora conscendere, rogavit me per quosdam fratrum nostrorum, ut facerem eum cellerarium nostrum, et ipse dimitteret nobis solutum et quietum officium pelliparie quod a nobis habebat; insuper et sanctum Petrum heredem faceret illius partis sue substantie que sibi morienti contingeret. Quod cum retulissem fratribus in capitulo nostro, laudaverunt ut sic fieret sicut ipse poposcerat. Venit igitur Belinus in capitulum nostrum, et, sicut prolocutum erat, revestivi eum de cellerarii nostri ministerio. Ipse vero reliquit nobis solutum atque quietum, atque[1] vellemus agendum, officium pelliparie quod eatenus habuerat; sanctum quoque

[1] Legend. *ad quæ*.

Petrum heredem instituit omnium rerum quas in morte haberet, que ad suam partem pertinerent. Hujus rei testes sunt : Hugo Coturnix, canonicus sancte Marie; Robertus major; Albertus major, de Emprenvilla; Ernaldus corvesarius; Albertus, frater ejus; Albertus carpentarius, Robertus marescallus, Rainaldus, Julduinus talemerarius, Fulco pelliparius; Godescallus major, de Campo Folli; Benedictus, Turoldus de Paradiso, Rainerius Tortus. Hic autem Rainerius, priusquam hoc fieret, rogaverat me, et per se et per amicos suos, ut darem ei ministerium quod Belinus reliquerat nobis. Sed, quia perversus erat, noluerunt ei fratres primo concedere. Cum autem perseveraret in petendo, et amici ejus pro eo, quos non exaudire non poteramus, eo quod necessarii nobis essent, dedi ei in capitulo nostro quod petebat; tali siquidem pacto, ut daret nobis bonos plegios, quod, si aliquando aliquid nobis forisfaceret, propter quod deberet perdere ministerium, quod non vellet vel non posset emendare, si nos vellemus ei auferre ipsum ministerium, in pace pateretur absque omni vindicta vel per se vel per alium; hoc etiam perdito quod, pro ministerio habendo, daturus erat nobis, absque ulla redditione quam faceremus ei, et absque aliqua requisitione quam faceret nobis. Quod cum concessisset, revestivi eum de ministerio, sub his testibus : Belino et ceteris qui suprascripti sunt in pacto Belini. »

XLIX.

De tribus agripennis vinearum, et tribus et dimidio pratorum, et quadam terra datis a Gualterio Sine Napis, filio Rainaldi, atque a Hugone vicecomite concessis.

Circa a. 1123. « Memoria scripti hujus ac testimonio et presentis temporis fidelibus et futuri innotescat, quia Gualterius, filius Rainaldi, ad monachatum veniens, dedit nobis tres agripennos vinearum versus Sanctum Bartholomeum, et tres arpennos pratorum et dimidium in littore Audure, versus Luisantum; et quandam terram apud Reclanvillam, quam videlicet terram Hugo vicecomes, de fevo suo eam esse dicens, prius quidem saisivit et invasit, sed postmodum, videntibus subscriptis tes-

tibus, in capitulo nostro concessit. Testes : Willelmus Aculeus, Goscelinus de Mungervilla; Ivo, filius Herberti; Mascelinus major, Harduinus Brunet, Ivo de Porta Morardi. Goscelinus de Mungervilla, cum Willelmo, filio suo, qui de alterutro eandem terram in fevum tenebant, ejus donum omnes concesserunt. »

L.

Cyrographum duas bovatas terre Hugone Pelleve, apud Senesvillam a nobis concessas describens; et pro hoc quandam terram apud Bellum locum a Hugone de Besvilla nobis attributam asserens.

« .... Scripti hujus testimonio tam presentibus quam futuris notum fieri volumus, duas apud Saxonis Villam terre bovatas, quas Ingelbertus major, quasi pro majoratus jure, invaserat, sicut antiquorum, qui eam a nobis habuerant, colonorum testimonio seniorumque divisione probavimus, nostri Carnotensis scilicet cenobii monachorum juris ab antiquo semper extitisse, et quicunque eam antea habuerant non nisi sub ruricolatus, quod vulgo villanagium dicitur, lege habuisse. Quam videlicet terram cum Hugo, filius Durandi, qui cognominatus est Peslleve, sui juris esse diceret, atque ob hoc ut sibi reddi deberet etiam placito asserere vellet; et tamen, in causa sua deficere timens, placiti disceptationem inire formidaret; prudentiore usus consilio, ut libere et sine placito eamdem terram sub predicta ruricolatus lege concederemus, centum nobis solidos dedit; atque apud nutritores suos, Hugonem de Besvilla ejusque uxorem Mariam, obtinuit, ut totam terram quam apud Bellum Locum habebant, huic ecclesie nostre perpetuo possidendam donarent. Quod cum illi fecissent, predictam sibi, sicut postulabat, Hugoni terram, modo quo dictum est, id ést, ad villanagium, concessimus; ea quoque interjecta conditione, ut, si eum sine legitimo herede hominem exire contingeret, et terra eadem et quicquid, tam in mobili quam in immobili, haberet, in hujus ecclesie jus possessionemque cederet; si vero moriens superstitem sibi heredem relinqueret, sola que eum rerum suarum portio contingeret nostra

esset. Cui etiam petenti, pactum inter se et Ingelbertum de majoratu Saxonis Ville, communi totius capituli assensu, firmatum est. Que quando acta sunt affuerunt quorum nomina subscripta sunt testes : Robertus de Besvilla, Robertus major; Odo, filius Gumbaudi; Symon de Ymunvilla, Gerbertus Coispel, Rainardus Aventii.... et plures alii. »

LI.

De quadrante vinee et dimidio in Manu Villare Fulcaudo, quandiu vixerit, concesso.

1101-1129. « Ego Willelmus abbas, successorum memorie hoc scripto trado, quod, rogatus ab amico nostro Fulcaudo, quadrantem vinee et dimidium apud Manu Villare in vita sua ei concessi, sciens quia eam colendo melioraret; et qualem moriens vineam illam relinqueret, talis, ita scilicet culta sive terra, si vineam extirparet, in proprietatem nostram reverteretur. Huic rei interfuerunt : Robertus, sacristes sancte Marie; Fulgo clericus, magister vicecomitis; Ricardus, filius Augis; Julduinus Guidonis, vicecomitis armiger. Ex parte nostra : Gaufridus, Gauterius, Julduinus, Cocardus coqui. »

LII.

Cyrographum inter nos et Alcherium de Medianello, omnia, que ab ecclesia nostra idem Alcherius tenet, post ejus mortem ad nos reversura testificans.

1101-1129. « Experti discrimen periculi ad evitanda imminentia pericula periclitatos quosque cautiores reddere vigilantioresque consuevit. Ne ergo perturbationis iterum incurramus periculum, nos, Carnotensis cenobii videlicet monachi, tam modernis quam posteris, ex presentis cyrographi testimonio, notum fieri volumus, subscripto concordie modo terminatam esse dissensionem que inter nos et Alcherium, filium Gualterii de Medianello, ea de causa emerserat, quod non legitime nec fideliter eas tractaverat prestituras, quas a nobis tali pacto acceperat, ut, si legitime, fideliter, honeste atque utiliter eas tractaret,

dum adviveret eas possideret; sin alias, ei ablate, inter ecclesie nostre res, unde et processerant, numerarentur. Quia igitur, contra hoc pactum, acceptas prestituras non legitime, ut dictum est, nec fideliter tractaverat, in publico placito omnia que a nobis tenebat justo judicio amisit. Quod videlicet dampnum cum se perversitatis sue merito videret incurrisse, petito tandem et accepto concordie die, in capitulum nostrum, una cum domino suo Ursone, filio Nivelonis, aliisque quorum nomina inferius scripta sunt quamplurimis, venit; et se male egisse, de eo quod, acceptis ecclesie nostre rebus damnose tractatis, querelis insuper et placitis diu nos vexavisset, publice recognoscens, videntibus cunctis qui aderant, quicquid unquam a nobis habuerat in manu domni Willelmi abbatis, omissis omnibus querelis atque calumpniis, satisfaciens manumisit, nihil aliud nisi veniam misericordiamque deprecans. Cujus supplicationi cum domnus Urso suum pro eo rogatum adjungeret, et qui inferius scripti sunt amici nostri eum audiri oportere laudarent, domnus abbas, communicato cum senioribus consilio, Alcherio quam supplicabat veniam non negavit. Nam ei ibidem reddidit easdem quas, pro forisfacto suo, jure sibi ablatas cognoverat prestituras, tantummodo in vita sua ab ipso solo possidendas, post mortem vero ipsius ad ecclesie nostre jus possessionemque redituras : hoc est decimam que fuerat de feodo quem a nobis Gosbertus, famulus noster, tenuerat; panem et vinum cum generali prebenda de molendinis, per singulas septimanas unum sextarium et semiminam illius annone quam molendini lucrabuntur, sine avena tamen et ordeo. Quam scilicet prebendam singulis dominicis diebus a monacho sive serviente nostro accipiet. Verumptamen si qua septimana evenerit in qua molendini prescriptam prebendam non possint lucrari, quod minus lucrabuntur Alcherius minus habebit, si tamen hoc, quod molendini minus lucrabuntur, ex negligentia vel aliqua culpa nostra accidere non constiterit. In molendinis nichil omnino faciet, nichil amplius accipiet; nam molendinorum curam sive custodiam, quod molneragium sive jundragium dicitur, et ipse Alcherius, sine recuperandi spe, cum aliis prestituris in pace dimisit, et domnus abbas hoc in perpetuum retinuit. Census quoque agri-

penni de Porta Morardi, qui ab Otranno emptus fuerat, ei similiter solummodo in vita sua possidendum, post ejus vero obitum ad possessionem nostram, sicut et cetera omnia, revocandum domnus abbas reddidit; ita tamen, ut pro recognitione et testimonio, quia census idem, ipso defuncto, possessionis nostre omnimodis futurus sit, duos solidos de eodem censu camerario nostro, per annos singulos, reddat, per manum nostri monachi reddendos monachis de Blesis. Hii enim eis de terra illius agripenni annuatim reddendi sunt instituti, sicut in litteris que, in scrinio nostro reposite, factam inter nostrum et Blesense capitulum concordiam continent[1], plenius continetur. Quicquid itaque Alcherius a nobis acceperat, sicut satis dictum est, tantum dum advixerit possidendum, ad hujus ecclesie dominium possessionemque, post ejus obitum, revertetur; hoc est quicquid ea die qua hec acta sunt habebat, videlicet ea que superius sunt comprehensa, scilicet decima de feodo Gosberti, panis et vinum cum generali prebenda de molendinis, id est sextarium et semimina annone molturensis, et census de Porta Morardi. Nam ea que de patrimonii sui hereditate possidebat, id est domus quedam et vinea, pro eo quod ad nos non pertinent, excipiuntur. His pactis, fidelitatem et justiciam se huic ecclesie nostre servaturum Alcherius juravit. Sed jam testium astipulatione carta roboretur. Ex parte nostra affuerunt hii : Gualterius archidiaconus, Hugo de Leugis, Bernardus cancellarius, Ansgerius archidiaconus, Willelmus Moignart, Guido de Blesis, Chotardus; Ansoldus et Clemens frater ejus; Barbo, Alcherius Adalonis. »

LIII.

De duobus arpennis vinee et dimidio plante, et medietate unius grangie et unius viridarii, nobis a Radulfo monetario datis; et de centum solidis post mortem uxoris ejus habendis; deque calumpnia super predictis facta a Radulfo de Dallemont, et depulsa.

1116-1124. « Noverint omnes qui scriptum hoc lecturi sunt, quod Radulfus monetarius, filius Ernaldi, gravissimo quodam, quo et mortuus est,

[1] Vid. superius, cap. XXXIII, p. 290 sq.

correptus incommodo, huic ecclesie nostre, monachorum scilicet sancti Petri Carnoti, semetipsum in monachum dedit, et, pro anime sue salute, aliquanta de possessionibus suis in elemosinam huic monasterio nostro donavit. Videlicet : unum arpennum vinee apud Luciacum, et medietatem unius grangie et unius viridarii et totius ejusdem ambitus in quo eadem grangia sedet; itemque, apud Moncellum sancte Marie, unum arpennum vinee et dimidium plante; itemque centum solidos post mortem uxoris sue, quos dabunt hii qui dotem ejusdem uxoris illius hereditate habebunt, sicut et alios trecentos solidos vicinis monasteriis. Cujus donationis testes sunt, qui predicti defuncti testamentum ejus ore exceperunt : Hugo, presbiter sancti Aniani; Willelmus Aculeus, Osbertus monetarius, Ebrardus de Monte Forti; Ansoldus, filius Dumenchii; Isembardus, filius Teodoli; Aufredus loriminarius. Porro sororii ejusdem Radulfi, Radulfus de Allemont et Godefredus de Petra Pertusa, et Isembardus, frater ejus, predictum predicti beneficium, post mortem ipsius calumpniantes, impedire immo annullare conati sunt; unde in curia episcopi, tunc Gaufridi de Leugis, in placitum contra predictos calumpniatores, die condicto, convenientes, judicio christianitatis, prescriptam elemosinam quietam et liberam, firmam et ratam obtinuimus, audientibus et videntibus, tam ex nostra quam ex illorum parte, qui subscripti sunt testibus : ex nostra, Galterius archidiaconus, Sanson decanus, Zacharias archidiaconus, Hugo de Leugis, Bernardus capicerius, Gislebertus cancellarius, Ansoldus Godescalli, Robertus major, Floherius, Gosbertus Coispel, Guarinus marescallus; ex parte calumpniatorum, Hubertus Mordant, Radulfus de Capella; Paganus, major Sandardi Ville; Symon de Reureceols, Garinus Brise-Hante. »

LIV.

Cyrographum pactum de furno Campi Fauni inter nostram et ejusdem ville ecclesiam continens.

« Notum sit posteris, quod, in tempore domni Willelmi abbatis, 1101-1129.
monachi sancti Petri et parrochiani sancti Dionisii de Campo Fauni,

in eadem villa constituunt unum furnum in elemosina, ad opus utriusque ecclesie. Cujus consuetudines utrorumque assensu ibi sunt descripte : scilicet ut quecunque furneia, sive unus sive plures eam faciant, unum panem, altera vice de albo, altera de biso, reddat; quod si quis alibi coctum ierit, quod abstulit reddat dupplum, unum pro solagio, alterum pro furni refrigeratione, et nichil amplius ab eo exigatur. Ista et omnes alie forisfactiones, preter sanguinem, tam de furnerio quam de aliis, in curia sancti Dionisii, coram presbitero et parrochianis, sine alia justicia, emendentur; quod tamen ibi non poterit, coram preposito; si amplius, coram abbate. Hoc quoque confirmatum, quod neutra pars furni unquam tradatur ad censum. Furnerium vero, utpote sibi serviturum, ipsi homines eligant; electumque ad prepositum ducant ubi juret fidelitatem utrique ecclesie et parrochianis, et se nemini precium clam nec dedisse nec daturum; quod si quid dederit commune sit ecclesiis. Redditionem vero furni presbiter sancti Dionisii recipiat et custodiat, cum duobus vel pluribus parrochianis, aliorum consensu ad hoc electis, qui utrique ecclesie fidelitatem jurent, et dimidiam partem monachis reddant, dimidiamque ad necessaria ecclesie sancti Dionisii fideliter custodiant. Et, quotiens opus fuerit, de communi emendetur ac reficiatur et furnus et domus. Hec confirmata sunt in capitulo sancti Petri coram Willelmo abbate, his audientibus : Rogerio sacerdote, Roberto clerico, Martino, Bernardo Girardi, Mainardo, Milone, Ulverico Anglico, Mainardo furnerio. »

LV.

De pedagio apud Sanctum Piatum a Mainerio et uxore et filiis ejus dimisso.

Mainerius quidam, annuente conjuge sua Elysabeth, filiisque suis Amalrico ac Willelmo, concedit monachis sancti Petri Carnotensis, liberum et omni prorsus vectigali absolutum transitum, pro cunctis rebus eorum, per viam quæ est apud Sanctum Piatum, adstantibus Laurentio, Adventio, Rainardo ejus filio et aliis. Testes Mainerii et uxoris ejus : Robertus Gauszonis, Mainerius Ruffus, Ernaudus.

LVI.

De duodecim denariis census apud Campum Fauni, ab Amalrico et uxore ejus et filiis et filiabus ejus condonatis.

Amalricus quidam, jam moriturus, testamento largitur monachis sancti Petri, annuentibus conjuge sua Richilde, filiis Raherio, Joscelino, Guarino, Pagano, Amalrico, filiabusque Letburge et Eustachia, duodecim denarios census, quos ipsi monachi eidem Amalrico annuatim solvebant apud Campum Fauni. Testes Amalrici : filii ejus, Godechildis ejusdem soror; sancti Petri, Godescaldus major et alii.

LVII.

De prebenda in ecclesia sancti Martini de Valle ab Adela comitissa ecclesie nostre data, deque calumpnia a Bernardo medico super eodem dono facta et extincta.

« Notum sit omnibus quia comitissa Adela[1], pro redemptione peccatorum suorum et salute comitis Stephani et omnium antecessorum suorum, prebendam unam perpetualiter habendam in ecclesia sancti Martini, ecclesie sancti Petri, abbati videlicet Willelmo omnibusque fratribus, tam presentibus quam futuris, ibi Deo servientibus, donaverit. Hanc autem prebendam Bernardus medicus calumpniabatur; quam tandem calumpniam predicta comitissa sic extinxit, quatinus idem Bernardus, in capitulo sancti Martini et in capitulo sancti Petri, donationem comitisse bono animo laudavit et concessit. Cui Bernardo, quia donationem comitisse laudaverat, terciam prebendam in ecclesia eadem beati Martini comitissa dedit, et rogavit abbatem Willelmum et monachos, quod, pro suo amore, medietatem sue prebende redditus Bernardo concederent, usquedum illa tercia prebenda apta esset. Cujus rogatui Willelmus abbas et monachi in capitulo sancti Petri acquieverunt, sub his testibus : Wlgrino cancellario, Hugone preposito; 1102-1122.

[1] Adela, filia Guillelmi I, regis Angliæ, uxor comitis Stephani VI, defuncti a. 1102, comitatum Carnotensem, una cum filio suo Theobaldo IV, tenuit usque ad a. 1122, quo monasticam vitam amplexa est. Obiit Marciniaci a. 1137.

Menardo, Bernardo canonicis; Ansoldo, filio Godescalli; Hugone Bovo; Stephano, filio Rogerii; Barboto. »

LVIII.

De fevo Sevini monachi ab ipso ecclesie nostre dato.

4 mart. 1093. Sevinus, monachus sancti Petri Carnotensis, dimittit huic monasterio, pro salute patris sui Hugonis, matris Ermeline fratrumque Nivardi et Hugonis, feodum quod ab eodem acceperat monasterio, quando ibi monasticam vitam fuerat amplexus : duos scilicet annonæ modios, panem unum quotidianum et quartam partem sextarii vini. Testes : ....Frodo succentor, Landricus canonicus; Willelmus, filius Symonis de Monteforti [1]; Fulco archidiaconus, Girardus canonicus; ....ex parte sancti Petri, ... Laurentius cubicularius, ...Ragenfredus de Reclamantis Villa; Balduinus, nepos abbatis.

« Actum IIII° non. martii, anno dominice incarnationis MXCIII°, indict. I. »

LIX.

De rebus a Pagano canonico ecclesie nostre datis.

21 oct. 1117. « Secundo episcopatus anno Gaufridi de Leugis, XII kalendas novembris, veni ego Paganus, filius Dominici, canonicus sancti Martini, in capitulum sancti Petri, ibique, [2] anime mee salute, dedi sancto Petro et monachis inibi Deo servientibus, inter eos et sanctum Leobinum, medietatem omnium que habebam sive in mobili sive in vineis sive in alia qualibet substantia. Habebam autem tunc V agripennos vinearum et dimidium : II Faraville, unum empticium, alterum de patrimonio; Manu Villari I; Coldreto II et dimidium. Horum igitur duos agripennos et III quadrantes dedi eis, unum Faraville, empticium scilicet; dimidium Manu Villari; Coldreto unum et I quadrantem; omniumque aliarum rerum mearum, sicut jam dixi, medietatem. Dedi autem hoc modo : si in hoc anno, id est a XII kalendas

[1] Willelmus, filius Symonis I de Monteforti Agnetisque Ebroicensis, in Parisiensis ecclesiæ sedem sublimatus est a. 1095, non a. 1092, sicut perperam asseruit D. Maur d'Antine, *Art de vérif. les dates*, t. II, p. 675.

[2] Supplend. *pro*.

novembris usque ad annum, mortuus fuero, sive in hac villa sive ubicumque sim, habebunt, sicut divisi, omnium rerum mearum, post mortem meam, medietatem. Item, si in hoc eodem anno in aliquam viam porrexero unde ulterius non redeam, ex quo certi de morte mea fuerint, ut similiter habeant concedo. Si vero de via ipsa rediero, vel etiam si, Carnotum manens, per totum hunc annum mortuus non fuero, potero de rebus meis facere quod voluero, sicut, priusquam hoc donum eis fecissem, poteram. Huic dono et conditioni interfuerunt : presbiteri sancti Hylarii, Brientius, Willelmus, Aucherius, Grossinus; Christianus pelliparius, Frollandus; Tevinus et Bernerius fratres; Hugo de Bevilla, Robertus presbiter, Gilo Aventii. »

LX.

De hospicio et arpenno terre a Falcone, filio Gilonis, datis.

« His litteris recitantibus in memoria subsequentium fidelium ego Falco, filius Gilonis de Cenomannis, tenendum esse arbitror, pro redemptione anime mee, monachis sancti Petri, apud Bonuscursam, aream unius hospitis cum uno agripenno terre, assensu mee conjugis Beatricis atque filii mei nomine Gilonis, nullius calumpnie obnoxiam, sub presentia horum me tribuisse : Roberti de Murcehinc, Hilgoti, Laurentii, Gaufridi, Gilduini, Christiani. »

LXI.

Quod Gualterius de Marchesvilla et uxor ejus Hadvisa ecclesiam nostram omnium rerum suarum heredem fecerunt.

« Ne qua occasione hoc prepediatur in futurum, ego Guillelmus 1101-1129.
abbas et tota congregatio fratrum Carnotensis cenobii, noticie plurimorum palam esse curavimus, quod quidam homo, Galterius nomine, de Marchesvilla, adiit nostram presentiam cum uxore sua, nomine Hadvisa. Qui cum essent [1] prole, Deum et sanctum Petrum omnium

[1] Suppl. *sine*.

bonorum suorum heredem fecerunt; ita quod quicquid possessionis haberent, post obitum utriusque, totum haberemus, reimpertientes eis suffragia orationum et alia benefacta que in ecclesia deinceps fierent, et sepulturam in die mortis eorum. Affuere cum eis Frobertus, frater ipsius, et Martinus nepos ejus. Interfuere etiam de famulis nostris quorum ista sunt nomina : Hugo, Johannes, Belinus, Gumbaldus, Gosbertus; Albertus, major Impregnis Ville; Berardus, Engelardus clausarius. »

LXII.

De feodo filii Herbranni dato pro calumpnia molendinarie molendinorum de Ponte dimissa.

1119-1128. « Scripti hujus testimonio omnibus quibus oportuerit innotescat, calumpniam illam quam Richeldis, uxor Herbranni de Reclani Villa, et filii ejus, et Stephanus et Paganus nobis moverant, de molendinaria molendinorum nostrorum de Ponte, quam feodaliter suam esse debere causabantur, taliter esse terminatam. Die namque condicto, in causam coram episcopo, tunc Gaufrido de Leugis, convenimus, et, auditis utriusque partis rationibus, totius episcopalis curie judicium definitum est, calumpniam eorum, utpote ineptam, nullum habere debere effectum. Cumque publico christianitatis judicio ab inani spe fuissent dejecti, rogatu ipsius episcopi, aliorumque, qui ibi aderant, amicorum nostrorum interventu, prefato Pagano, et, si plus eo vixerit, frater ejus, Stephano duos annone modios in Loen annuatim in feodum dedimus, et panem et vinum in cellario nostro : panem de pane qui dicitur domnarum, et vinum de vino ceterorum servientium nostrorum. Ita tamen, ut, si eam vini abundantiam habuerimus, ut vinum ceteris servientibus nostris demus, tunc et ipsi vinum prebeamus; sin autem, matri ipsorum, quandiu vixerit, duos vini terciales, tempore vindemie, pro toto anno tribuamus. Pro quo scilicet feodo hoc solum servitii ipse nobis annuatim reddet, aut si ipse sine herede prius mortuus fuerit, frater ejus Stephanus hoc ipsum faciet : scilicet, quo anni tempore domnus abbas maluerit, XL dies per an-

num, unum caballum in servitium ei tradet. Si autem Paganum sine legitimo herede mori contigerit, aut certe, si heredem habuerit, ipsum nobis[1] heredem non habere heredem, totum feodum istum, post mortem Stephani vel matris ipsorum, perpetuo nobis remanere communi decreto et assensu sanctitum est. Testes tam ex nostra quam ex illorum parte : Galterius archidiaconus, Hugo de Leugis, Hugo prepositus; Galerannus, abbas sancti Andree[2]; Willelmus Moignart, Ansoldus Rogerii, Baudricus, Paganus Galterii, Isembardus, Durandus Mansel, Rainaldus del Mans, Rainaldus Aventii, Lambertus vicarius, Robertus major, Ansoldus Godescal, Ivo Teobaldi, Gislebertus, Floherius, Budinus. »

LXIII.

De terra juxta Portam Morardi ab Ermengarde data; deque calumpnia a Pagano de Remalast illata et depulsa.

« Recitatione hujus scripti legitimi et testimonio, universis tam presentis quam futuri evi fidelibus, ego Eustachius abbas veritatis certitudinem volo innotescere, quod quedam matrona, Ermengardis nomine, decubans in lecto egritudinis, quandam terram, quam a nobis censivam tenebat, que habetur juxta Portam Morardi, sancto Petro, pro remedio anime sue, dono indissolubili dimisit. Unde eam, de domo Haldrici cornuarii, ubi egrotaverat, ad domum sancti Petri, scilicet domum Gilduini cementarii, deportavimus; ibique ei, in eadem egritudine qua diem clausit ultimum, amico famulatu, omnia necessaria, quia soror erat nostre congregationis, studio caritatis ministravimus. Ibidem, eam visitandi gratia, affuit[3] de Regimalastro, cum alio quodam milite ejus nominis; in quorum presentia et audientia prefata matrona donum predicte terre iterando confirmavit. Cum igitur nature obeundo concessisset, defunctam in nostro cimiterio, 1090-1100.

[1] Expungenda videtur vox *nobis*.

[2] In nonnullis instrum. hic abbas nominatur ab a. 1119 usque ad a. 1128, *Gall. Christ.*, t. VIII, col. 1212.

[3] Omissum *Paganus*.

juxta maritum suum, jam pridem a nobis humatum, debito exequiarum officio, honorifice tumulavimus. Testes hujus donationis fuere hii : ex nostra parte, Gumbaldus, Adventius, Laurentius, Gislebertus Lorini; ex parte ejus, Paganus de Regimalastro, et Paganus, filius Walterii; Hubertus de Regimalastro, qui postea factus est monachus. Interposito itaque parvi temporis intervallo, Paganus de Regimalastro, pro hac terra adversum nos calumpnie querelam excitavit; unde, accepto placitandi die, utrique ad executionem justicie in curia Ivonis episcopi, convenimus. Fuerunt ex parte ejus Gaufridus [1], comes de Pertico; Willelmus Goius, Ivo de Hilleriis, Wlferius, Robertus Aculeus, Bodellus vicedominus; Teobaldus, filius Stephani; Ivo Norberti, Hugo de Galardone; Robertus, filius Guachonis; Ubrardus de Puteolo, Petrus, Arraudus. Ex nostra parte, Ivo episcopus, Gallinus subdecanus, Fulcho archidiaconus, Raimbertus monachus; Rainaldus, filius Gualterii; Laurentius, Adventius, Salomon, Gumbaldus; Gislebertus, filius Lorini. His itaque utrinque causidicis presentis cause rationem placitatoria discussione ventilantibus, quidam famulus sancti Petri, nomine Laurentius, ex nostra parte prosilit in medium, libera voce se hujus donationis testem vociferans, asserens etiam Paganum de Regimalastro ibidem affuisse ubi Ermengardis predictum donum confirmaverat, et nequaquam huic dono contradixisse. Pagano autem e contra hoc negante, prenominatus famulus sancti Petri, nostra commonitione, diem belli et locum, annuente Pagano, suscepit; contra quem Paganus suam presentiam minime exhibuit. Sic denique sopita hac calumpnia, memorata terra sancto Petro solida et quieta est dimissa. »

[1] Gaufridus II, filius Rotroci I, patri suo in Perticensi comitatu successit a. 1079 vel circiter, obiitque mense octobr. 1100.

LXIV.

De terra quam Theobaldus Cheron emit a Pagano de Fains; que scilicet ideo hic est descripta, quia terra eadem a predicto Theobaldo nobis est data[1].

« Paganus de Famis vendidit Theobaldo sacristiti tres agripennos terre et unum quadrantem, solvens tres solidos et duos denarios et obolum : hoc modo, ut idem Theobaldus posset terram illam cuicunque vellet quiete et absolute dare aut vendere. Hoc concessit uxor Pagani, domna Emelina, et filius eorum Gislebertus adhuc adholescentulus; ita tamen, ut, si domnus Theobaldus prefatam terram vendere voluerit et Paganus eam rehabere velit, levius quinque solidis quam aliquis extraneus eam habebit. Post hanc factam venditionem, sine ullo precedente pacto, dedit idem Theobaldus, sponte sua, eidem Pagano pelles optimas catinas, precio XXXV solidorum emptas, et anulum aureum V solidorum; et domna Elysabeth, uxor Theobaldi, dedit domne Emeline, uxori predicti Pagani, unam guimpulam optimam gratis; et, non pro aliquo pacto, filius eorum Gislebertus VI denarios, pro concessione venditionis hujus terre, habuit. Huic concessioni ex parte Pagani fuerunt : Joscio major et Rogerius major. Pro terra vero habuit Paganus XX solidos, et, post, IIII solidos. Ex parte Theobaldi testes fuerunt : Fulco viator; Alricus et Stabilis et Moyses, homines Ernaldi decani; Fulcherius elemosinarius; Frodo, frater Elysabeth; Gualterius Brito; Haimericus arcus faciens, nepos Theobaldi. » 1101-1120.

LXV.

Descriptio feodum Alberti, cognomine Foras de Chartis, totum comprehendens.

« Ego Albertus, cognomine Foras Carnotis, commonitus a monachis sancti Petri, ut fiscum meum, quem ab ecclesia sancti Petri tene-

[1] Vide superius, cap. XXXI, p. 289.

bam, nominatim eis patefacerem, hic veridica descriptione manifestavi. In Bercariis, totam decimam de terra Maingoti; in Tealani Villa, decimam trium mansurarum; in Sancto Piato, decimam de terra Proesi; in Cambiaco, medietatem decime; in Nigella, medietatem decime; item in Nigella, alodum unius bovis et medietatem decime ejusdem alodi; in Jotro, XII nummos census, pro quo V solidi debentur; de Aquile Curte et Castellulo, medietatem decime, pro qua XX solidi debentur. Fiscus Alberti Foras Carnotis et fratris ejus Sulionis : Ebrardus de Pisselupo tenet, in Telanis Villa, decime medietatem trium carrucarum; in Bercariis, Gualterius, filius Haldrici, tantumdem decime; apud Sanctum Priscum, ipse sibi decimam trium carrucarum; item, apud Joiacum, decimam duorum boum; item quinque agripennorum decimam; item decimam X carrucarum; item, apud Galardonem, terram unius modii seminis; apud Coruletum, decimam XII carrucarum; apud Castellulum et Aquile Curtem et Nigellam, X carrucarum decimam; in Grummeto, medietatem decime. »

LXVI.

De decima a Rogerio Gemello nobis data, et Fulberto filio suo ad vitam suam concessa.

1101-1129. « Noverint presentes et futuri quod quidam miles de Pertico, Rogerius Gemellus, terre sue decimam, quam usque ad illud tempus ipse tenuerat, in presentia domni Willelmi abbatis et totius capituli nostri, concedente Fulberto clerico, filio ejus, pro remedio anime sue et predecessorum suorum, sancto Petro tribuit; quam, rogatu ejus, filio Fulberto, dum viveret, habendam concessimus. Preterea proprie carruce et meteriarum suarum decimam in presenti habendam nobis dedit. Cujus rei testes fuerunt : Gualterius, Gaufridus, Johannes, Gilduinus, Gaufridus Boscus, coqui. »

LXVII.

De calumpnia ab Haimerico de Brandelon super quadam terra facta et dimissa.

Haimericus de Brandelon, excommunicatus eo quod quandam terram, ad monasterium sancti Petri pertinentem, injuste invaserat, venit in capitulum sancti Petri, ubi præerat abbas Guillelmus, confessaque injuria, terram prædictam dimisit, illamque monasterio perpetuo possidendam concessit. Testes : Willelmus Moinart, Herbertus de Tiliaco, et alii. 1101-1129.

LXVIII.

Quod Gaunardus omnium rerum suarum ecclesiam nostram heredem fecit.

« Omni tempore certum sit, quod Gaunardus, homo sancti Petri, capitaliter omnium que possidebat sanctum Petrum heredem, post decessum suum, constituit in capitulo nostro, coram subscriptis testibus : Roberto Flagello, Roberto aurifabro, Roberto majore, Hernaldo botario, Odone pistore, Gaufrido coquo, Parente, Christiano scutelario; Rainardo, filio Aventii; Rainerio Torto, Christiano pelliparo; Odone, filio Gumbaldi. »

LXIX.

De domo petrina juxta feltrariam sita, ab Ansoldo de Bello Videre data; deque census et vendituum redditibus inter nos et ipsum communibus.

« Eo tempore quo domnus abbas Willelmus huic nostro sancti Petri monasterio preerat, Ansoldus de Bello Videre, filius Ansoldi Berbelli, Jerosolimam proficisci parans, venit in capitulum nostrum una cum matre sua Richelde, et, tam pro sua quam pro parentum suorum animabus, donavit ecclesie nostre in elemosinam quandam domum petrinam, feltrarie huic contiguam, que sibi hereditario jure competebat; concedente hoc predicta matre sua et donum cum ipso simul faciente, utpote de re que, partim de dotalicio suo partim 1116-1129.

de emptione, predicti viri sui et sua erat. Census tamen et venditcuum medietatem predicti datores sibi, dum adviveret aut uterque aut alter, retinuerunt; ita tamen ut, si Ansoldum sine legitimo herede mori contingeret, et census et venditus in jus ecclesie nostre perpetuum firmamque possessionem ex integro cederent; si vero Ansoldus heredem haberet, et ille hanc census et vendituum medietatem vendere aliquando seu dare vellet, hoc non nisi nobis, quantum alius quilibet emere volentibus, facere posset. Factum est hoc etiam coram episcopo Gaufrido de Leugis, et in manu ejus donatio a donatoribus facta, ecclesie nostre per ipsum confirmata est. Testes : Fulcaudus cerarius, Stephanus Cosin; Hubertus, ipsius Richeldis secundus maritus; Hermannus feltrerius, Guibertulus, Teodericus, Robertus Emparchepen, Ansoldus Furrebois, Berena de Porta Morardi, Solina, Leodegardis, Celsa. Ex nostra parte, Rainardus Aventii, Gesbertus Coispel, Arnulfus Boslu, Teoberius, Garinus Durandi. »

LXX.

De emptione a Fulcone pelliterio apud Ganniacum facta et ecclesie nostre data.

« Noverint successores nostri, quod Fulco pelliterius dedit sancto Petro, in capitulo nostro, emptionem quam fecerat apud Ganniacum, in terra sancti Petri, cum habitaculo quod ibi facere disponebat, concedente uxore sua, post mortem ejus habendam; nisi interim in tantam paupertatem deveniret, ut de quo alio viveret non haberet : hac enim sola [1], scilicet ut, inde viveret, vendere eam posset. Huic dono interfuerunt : Belinus, Robertus major, Ernaldus Fultrardus, Christianus pelliterius, Rainerius; Gilo, filius Aventii; Gaufridus coquus, et Fulbertus, nepos ejus; Gosbertus fossarius. »

[1] Subaudiendum *ratione* vel *conditione*.

LXXI.

De terra in Gorzeiis et in Chavennis et in Mobili Villa, cum omnibus consuetudinibus et exitibus suis, a Hugone Berbel nobis data; deque duobus denariis census a Hugone vicecomite datis.

« Ego Guillelmus, abbas sancti Petri, hanc noticiam facere volui.... 1101-1106.
Habebat Hugo Berbellus terram in Gorzeis et in Chavennis et in Mobili Villa, quam ipse emerat; eamque sic possidebat, quod et banaria et vicaria et census et obliviones et omnes consuetudines terre erant sue proprie. Hanc autem terram dedit Deo et sancto Petro.... sicut ipse habebat habendam, id est cum banaria, vicaria, etc., concedentibus filiis suis Gaufrido, Guidone et Guillelmo. Quorum major, id est Gaufridus, juravit in capitulo nostro super sancta, et alii, qui juniores erant, concesserunt, quod, si calumpnia nobis inde nasceretur, defenderent nos contra omnes homines et feminas qui illam calumpniam facerent; audientibus et videntibus istis : ex nostra parte,... Petrus Vigil, Robertus major,... Ernaldus corvesarius, Julduinus pisarius, Gosbertus de Paradiso,... Hermandus fultrarius; Ansoldus, filius Dominici; Ricardus portarius, Odo pistor. Ex parte eorum : Petrus, avunculus eorum, Ascelinus; Gaufridus, armiger ejus; Christianus pelliparius.... Vicecomes autem habebat ibi in Gorzeiis duos denarios census quos Hugo vicecomes, filius Ebrardi de Puteolo [1], dedit sancto Petro et nobis in capitulo nostro, sub his testibus : ex parte ipsius, Hulduardo de Gorzeiis, Ivone de Porta Morardi. Ex parte nostra, Rainardo, filio Aventii; Hulderus, filius Camahu; Durando pistore, Herberto de Sancto Leobino; Willelmo, filio Hugonis Berbelli. »

[1] Ebrardus de Puteolo, vicecomes Carnotensis et Britoliensis, tres habuisse videtur filios. Quorum major natu, Ebrardus nomine, monasticam vitam in Majori Monasterio amplexus a. 1076, vicecomitatum Carnotensem, quem a patre acceperat, fratri suo Hugoni, de quo hic agitur, reliquit. Hic, a scriptoribus cognominatus Senior, Palestinam profectus est a. 1106, ibique interiit. *Scriptor. Francor.*, t. XII, p. 123, 163, 236, in not.

LXXII.

Quod Orguen de Manu Villari substantiole sue ecclesiam nostram heredem fecit.

« Notum sit quod quedam paupercula mulier de Manu Villari, Orguen nomine, venit cum presbitero ejusdem ville Radulfo in capitulum nostrum, ibique fecit sanctum Petrum heredem omnium rerum suarum quas moriens relinqueret; videntibus Radulfo presbitero; Gaufrido, Gualterio, Julduino et Ermenfredo coquis. »

LXXIII.

Quod Bodellus vicedominus, cum Girardo filio suo, dedit ecclesie nostre quicquid de feodo suo nobis daretur; quodque pravas consuetudines, quas in terra nostra usurpaverat, totas dimisit.

« .... Ego Bodellus, Carnotensis vicedominus,.... assentiente filio meo, nomine Girardo, perhenni firmitate dono, ut quicunque ex meis subditis aliquid beneficii ecclesie sancti Petri voluerit conferre, me nesciente meque non interrogato, id secure tribuat; qui particularem licentiam quam singulis largitoribus essem daturus, nunc omnibus generalem, coram his testibus, super altare sancti Petri prebens offero. Pravas quoque consuetudines, quas in terra sancti Petri, non hereditaria antiquitate, sed tirannica invasione, obtinueram, quas vulgo gesta dicimus, quia ibi jacere et descendere cum meo equitatu, proficiscens in expeditionem vel revertens, consueveram,... pariter assentiente filio meo Girardo, sancto Petro in perpetuum relinquo. »

LXXIV.

De domo que fuerat Joun Mabilie de Castro Novo ad vitam suam prestita, et, post mortem ejus, cum tercia parte omnium quas in ea haberet rerum, ad nos reditura.

1101-1129. « .... Ego frater Willelmus, abbas sancti Petri Carnoti, ad memoriam posterorum presenti scripto transferre decrevi, quod domna Ma-

bilia, uxor domni Gervasii de Novo Castello, presentiam nostram adiens, rogavit me, ut domum quandam, quam habebamus ante ecclesiam nostram, que fuit Joun cujusdam, cellerarii nostri, ad vitam suam ei prestaremus, ut haberet ubi ea que Carnoti habere vellet reponere posset. Utque facilius que petebat impetraret, pepigit nobis quod, quasi pro conductione ipsius domus, eam secundum voluntatem nostram meliorari faceret, sicque melioratam, cum tota etiam supellectili quam in ea haberet, in morte sua nobis relinqueret, sicut rem quam non nisi ad prestitum ad vitam suam habuisset. Illud quoque adjecit, ut omnium rerum quas in domo illa haberet in die mortis sue, terciam partem haberemus; reliquas duas partes, sicut ipsa nobis ordinaret, divideremus. Hanc igitur ejus petitionem simul et pactionem cum fratribus nostris in capitulo retulissem, omnesque laudassent, partim quia amica erat monasterii nostri, partim propter utilitatem quam in pactione ejus intelligebant, ut petitioni ejus assensum preberemus, venit in capitulum nostrum cum quibusdam militum suorum, ibique ei domum quam petebat, eo quo ipsa diffinierat pacto, concessimus. Ipsa vero ibidem pactionem predictam, coram his qui aderant, et determinavit et concessit. Huic conventioni affuerunt : ex parte ejus, Balduinus de Carisiaco, Ogerius, Raimbertus Colet; Germundus, filius ejus; Willelmus de Remalast, Ascelinus vicarius, Framericus, Urso, Guarinus de Sparlum. Ex nostra parte, Gaufridus, Johannes, Gilduinus coqui; Belinus cellerarius, Odo pistor. »

LXXV.

De domo et orto et viridario, VII solidos census reddentibus, et tribus vinee quadrantibus, a Rainaldo de Rainaria datis.

« .... Nos, videlicet sancti Petri Carnoti monachi,.... litteris istis mandamus, quia quidam plebeius homo, Rainaldus nomine, in capitulum nostrum aliquando venit, et, ut ad monachatum recipi deberet supplicans et impetrans, totius possessiuncule sue ecclesiam nostram heredem possessoremque, legitima et libera donatione sollempniter

facta, constituit. Eorum autem que nobis donavit domus quedam, cum orto et viridario domui contiguis, in eo loco est qui Ranaria sive, ut vulgaliter dictum sit, Guernoilleria appellatur, in censu Roberti de Besi Villa, XII denarios reddens; tres vero quadre vinearum juxta pressorium Radulfi, quem Catum Cornutum cognominant, in censu Willelmi, filii Ansoldi, ad IIII^or denarios et obolum. Porro domum sibique contigua ortum viridariumque, quidam Radulfus Jerosolimitanus a capitulo nostro absolute et quiete in perpetuum possidenda, et, prout maluerit, sive retinenda sive vendenda eo pacto accepit, ut, sive ipse sive quilibet alius eorum possessor sit, ecclesie nostre VII solidi census per annos singulos ad festum sancti Martini de eisdem solvantur.... Testes : Natalis tanator, Odo Surrel, Robertus clausarius, Hugo Pelleve; Mascelinus, Rogerius, Gaufridus coqui; et Budinus et plures alii. »

LXXVI.

De placito contra Girardum senescallum de exclusiis molendinorum nostrorum de Medianello et de Luceto, de terra quoque quam rivus occupat.

1101-1129. « Scripti presentis testimonio ego Willelmus abbas premunio memoriam succedentium, quemadmodum illa querela, que erat inter nos et Girardum senescallum de exclusiis molendinorum nostrorum, sit finita. Suscepto namque die et loco placitandi, scilicet apud Ver, utrique convenimus et placitatoria veritatis ratione disseruimus, et per majorem sancti Petri, nomine Gerogium, qui ex antiquo hujus rei bene conscius erat, probavimus, quod molendinarius noster, quotiens vellet reficere exclusium molendini de Luceto, assumeret sufficienter glebas terre sine alicujus licentia, nemine contradicente. Exclusium autem molendini de Medianello, quotiens indigeret refici, totiens molendinarius daret duo sextaria vini Roberto, majori de Ver, vel ejus successori, et ita acciperet abundanter glebas terre; etiamsi opus cujuslibet reparationis exclusii non poterit expleri per spacium unius mensis, non amplius quam duo sextaria vini. Disseruimus quoque illam terrulam nostram esse, quam rivus aque ex parte Girardi divi-

dens, directim in exclusiam tendit. Hec ita nostri juris esse disseruimus coram subscriptis testibus : ex parte nostra, Roberto Aculeo, Stephano Rufo, Hilgoto; Fulcone, filio ejus; Huboldo de Ver, Vitale pellipario, Harduino de Ver; Roberto mulnario, fratre ejus. Ex parte Girardi fuit, Hainricus, avunculus ejus; Clarembaldus, Hubertus de Fontenello, Robertus major, Herbertus de Barba, Arannus; Gaufridus, filiaster Aranni. »

LXXVII.

De vicaria de Moncellis a Garino de Friesia calumpniata prius, et postmodum concessa.

« Quoniam eorum que gerimus memoria melius retinetur cum litte- 1079-1101.
ris assignatur, ego Eustachius, abbas sancti Petri, qualiter vicaria de Moncellis in jus nostrum devenit litteris presentibus volui denotari. Cum igitur quidam miles, Garinus videlicet de Friesia, nos de eadem vicaria plurimum inquietasset, tandem, pro quibusdam forisfacturis ejusdem vicarie placitaturi, apud Fontanas convenimus; et, quoniam de eis de quibus nos implacitabat aut nichil aut parum adquisivit, ei XX solidos denariorum donavi, et illam nobis vicariam et ecclesie nostre semper habendam concessit. Promisit etiam fide et sacramento, inde se contra calumpnias omnes fore tutorem ac defensorem. Erat autem eadem vicaria tam in vineis quam in plana terra et in boschis. Fuit etiam concordatum, quod, si in aliquibus ibidem crescere possemus, eadem similiter ab omni vicaria absoluta et quieta teneremus. Uxorem autem idem Garinus nondum habebat. »

LXXVIII.

De libertate burgi ab Adela confirmata.

« Documentum hujus scripti succedentibus per seriem labentis evi 1102 1122.
firmam subministret fidem, quod ego Adela comitissa libertatem hujus burgi, quam rex Lotharius et Odo comes et Odo episcopus,

sicut in eorum privilegio invenitur[1], monachis sancti Petri sanxerunt, hanc ego mei assensus actoritate, pro anima mariti mei Stephani comitis, confirmo et roboro. Et precipio huic preposito meo, nomine Chotardo, et, sicuti vident subscripti testes, urgeo, ut XX solidos, emendationis effusi sanguinis, quos de forisfactura, infra metas burgi sancti Petri perpetrata, indebite extorsit, monachis inpresentiarum satisfaciendo restituat. Nolo enim quietam libertatem hujus burgi, antiquitus sancto Petro attributam, minuere, sed, sicut privilegium ecclesie sancti Petri coram me lectum asserit et testatur, ita nullus ex ministris meis, sive prepositus sive vicarius vel quavis alia appellatione nuncupentur, presumat in futuro de qualibet forisfactura inter metas jam dicti burgi patrata, judiciariam emendationem sub forma justicie requirere, vel homines ad quamlibet angariam compellere. Willelmus archidiaconus, Fulcho archidiaconus; Wlgrinus, Henricus, canonici sancte Marie; Nevelo, Hugo de Ferteia, Stephanus Rufus, Ernaldus vicarius; Ansoldus, filius Godescaldi; Hugo, filius Morini. Ex parte nostra, Adventius, Laurentius; Rainardus, filius Adventii; Gilduinus de Boesvilla, Durandus cliens; Gislebertus, filius Adventii; Rainardus Malis Herbis. »

LXXIX.

De feodo Goisberti ab ipso nobis vendito, et ab uxore ejus Tescia ejusdemque nepotibus et neptibus concesso.

« Nec debemus silere quod, quando Goisbertus ille fevum suum illud nobis vendidit, quatinus inde nullum timorem haberemus, quod uxor ejus, Techa nomine, cum duobus nepotibus suis Odone et Reinoldo et duabus neptibus Ermengardi et Ermengardi, affuerunt in capitulo eodem, et concesserunt; et, ne nobis ulla quandoque posset nocere calumpnia, ipse Goisbertus hos nobis subscriptos dedit fidejussores : Dodonem pelliterium, Belinum pelliterium, Christianum pelliterium, Robertum Bigotum, Durandum fabrum, Renoldum, Harduinum. Hoc viderunt et audierunt : Adventius miles, Glemardus, Odo

[1] Vid. supra, Pars I, lib. IV, c. I, p. 81 sqq.

de Gesiaco, Dodo clausarius, Robertus marescallus, Gualterius coquus, Cochardus, Radulfus, Gislebertus. »

LXXX.

De dimidio vinee arpenno a Harduino, et quadrante a Primaudo nobis venditis.

« .... Quidam, Harduinus nomine, assensu et consilio uxoris sue Rohes, et matris sue Legardis, et filii sui Benedicti, et fratrum suorum Theobaldi, Hoelardi, Guidonis, nobis monachis sancti Petri Carnotensis vendidit, supra fluvium Audure, juxta exclusas, medietatem agripenni vinee, VI libris. Hanc etiam venditionem concessit Primaudus cum Eremburgi uxore sua, qui tunc et alterius agripenni vendidit nobis quartam partem, que dicitur quadrans, L solidis. Sororius ejus et quantum potuit cum una mensurari pertica, ad suum usum inde retinuit, lege qua ab aliis emitur. Et quia ambo vendiderunt simul, Harduinus et Primaudus, simul hos nobis fidejussores dederunt : Hersendem, sororem Ildegardis, Alburgim et Albergim et Gilbergim, filias ejus. »

LXXXI.

Cyrographum cum Eugenia, uxore Ernaldi vicarii, continens pactum.

« .... Presentibus igitur litteris ego Guillelmus abbas nostris posteris 1101-1129.
innotesco, me, assensu totius congregationis, postulationi uxoris Ernaldi vicarii, nomine Eugenie, concessisse, ut, si quando communem seculi conversationem affectaverit relinquere, et ad nostre sobrietatem vite se voluerit transferre, benigna et religiosa familiaritate suscipiatur; et talis et tanta procuratio cotidiani victus et vestitus, de ipsis videlicet cibis qui nobis in refectorio ministrantur, ei impendatur, quanta uni ex nobis, et suo muliebri mancipio congrua substentatio prebeatur, unde cum domna, possit honeste vivere eique servire. Ipsa autem, postquam nobis associata fuerit, statim ea bona que vir prior ejus Radulfus, post hujus decessum, statuit nobis relinquenda,

ex toto nobis in nostro libero arbitrio omnia dimittet. Actum est hoc in capitulo sancti Petri, VI nonas julii, presentibus his testibus : Ernaldo vicario, marito ejus; Hugone, Constantio. »

LXXXII.

De domo a Roberto matriculario data, et Pagano canonico ad vitam suam prestita; simulque de terra ab ejusdem Roberti quodam nepote data, et Hugoni de Leugis, dum vixerit, similiter prestita.

« Notum sit omnibus hoc scriptum legentibus, quod Robertus, matricularius sancte Dei genitricis Marie, quando venit ad conversionem, dedit sancto Petro domum suam, que erat in Bellum Videre, quam non ipse de patrimonio habebat, sed de proprio censu emerat. Nos autem dedimus eam, in capitulo nostro, Pagano Sparnonensi, canonico sancte Marie, ad habendum in vita sua; tali conditione, ut, sic parata et vestita eam in morte dimitteret, post mortem ejus ad nos rediret. Videntibus istis : Landrico archidiacono; Hugone, archidiacono Blesensi; Hugone Coturnice, Willelmo Pullo, Goisberto de Bello Videre, Roberto, Symone Sparnonensi. Terram quoque quandam supradictus Robertus emerat juxta domum suam, et dederat cuidam nepotillo suo; sed, cum nollet eum foras relinquere, adduxit eum secum ut esset monachus cum eo. Tunc vero puer ille terram illam dedit sancto Petro in capitulo nostro; nos autem dedimus eam Hugoni de Leugis, canonico sancte Marie et archidiacono Blesensi, ad habendum in vita sua; tali conditione, ut cum illo edificio, quod in ipsa terra faceret, et incrementis que circa eam adquireret, post mortem ejus ad nos rediret. Videntibus istis : ex nostra parte, Ansoldo, filio Roberti sancti Martini; Gilone, filio Johannis, filii Fulconis; Boscheto, Roberto marescallo; Rainaldo, filio Adventii. Ex parte ejus, Hugone de Leugis; Hugone, nepote decani; Gaulino, filio Dodonis; Ebrardo, filio Vitalis. »

LXXXIII.

De tribus solidis census in Ranoilliaria ab Avelina de Ponte datis.

« .... Avelina de Ponte, tam pro sua quam pro senioris suis nuper defuncti anima, dedit ecclesie nostre, monachorum scilicet sancti Petri Carnoti, tres solidos census in elemosinam, ad Pontem sancti Martini, in loco qui Ranoillaria vulgaliter nuncupatur. Horum capitalem censum Gaufrido, qui patrio agnomine cognominatur Plongeon, id est XVI denarios, reddemus; reliquos autem, hoc est XX nummos, nobis habebimus. Testes : Robertus major, Garinus de Loarvilla, Lambertus, Floherius, Renvis, Rascent. »

LXXXIV.

De terra de Maltro pro XL solidis sancto Leobino ab Erico ingagiata.

Tempore abbatis sancti Petri Willelmi, homo quidam, Ericus nomine, pignoravit pro XL solidis, Gaufrido monacho de sancto Leobino, terram quam habebat apud Mautrum, in majoratu Sancti Martini; eo pacto, ut, si intra spatium trium annorum Ericus Gaufrido XL solidos redderet, terram suam recuperaret; sin aliter, solidis aliis XX aut eidem Erico solutis, aut, si Ericus defunctus esset, in ejus animæ remedium expensis, prædicta terra domui sancti Leobini perpetuo remaneret. 1101-1129.

LXXXV.

De duobus arpennis vinearum et una domo et uno scuto in moneta, datis ab Adelina, pro receptione Huberti filii sui, monachi quondam Columbensis.

« Quando Hubertum, olim Columbensem monachum, abbatis et capituli sui concessu, et propinquorum suorum rogatu, in hoc monasterium recepimus, mater ipsius Adelina, totius parentele sue assensu et voluntate, duos arpennos vinearum, post mortem suam habendos, ecclesie nostre donavit; tali pacto, ut, si, ea defuncta, Garinus medicus easdem vineas habere voluerit, XX^{ti} libris Carnotensibus eas redimat a nobis, et habeat. Sed et domum unam petrinam in moneta et unum monetarii quod dicitur scutum nobis similiter do-

navit, post mortem cujusdam filii predicti Garini, Milonis nomine, ejusdem Huberti nepotis, habendam, si tamen eum sine legitimo herede mori contigerit. Quorum omnium donationem ipse Hubertus, tam sue in hoc monasterio remansionis professione quam anni integri expletione, sic enim res determinata fuerat, confirmavit. Testes: Gaufridus monetarius, Osbertus monetarius, et ex nostris plures. »

LXXXVI.

De custodia molendini de Rediculeto, ad VII per annum modios annone, Grimoldo data.

1101-1129. « Quibuscunque necessitas postulaverit ex hujus scripti pagina notificetur, quomodo ego Willelmus, abbas sancti Petri Carnoti, assensu totius capituli cui presideo, concesserim Grimoldo molendinario, mulneragium molendini nostri de Rediculeto. Tali etenim conditione concessimus ei custodiam predicti molendini in vita sua tantum, ut per annum quemque reddat nobis ex eo VII modios annone mediocris sive communis. In cujus scilicet quantitatis atque mensure pignus atque guagium, dedit nobis quandam domum suam in Valeia, ut si quando (quod absit!) suprascriptam mensuram ex integro noluerit reddere, aut forisfactum fecerit quod vel nolit vel non possit emendare, et molendini custodiam perdat, et dampnum quod forte fecerit nobis ex domo restituatur. Pactum hoc audierunt, ex nostra parte, Gislebertus minutor, Ernaldus, Petrus, Milotus; ex parte Grimoldi, Constantius, sororius ejus; Robertus de Parisius, Joscelinus, sutor lanearius. »

LXXXVII.

Cyrographum inter nostrum et Blesense capitulum, familiam Harduini de Hunvilla communem inter nos et ipsos fore testificans.

1101-1129. « .... Nos Carnotensis scilicet atque Blesensis cenobii capitula, litteris his omnibus notum fieri volumus, quoniam, tempore abbatum

nostrorum Willelmi atque Mauricii, pari utrinque et communi consensu, statuimus inter nos atque firmavimus, ut fructus qui de Harduino de Hunvilla, servo utique sancti Petri, et Guiburge, ancilla sancti Launomari, ipsius Harduini uxore, exiret, per medium inter nos et ex equo partiretur. »

LXXXVIII.

De stallo a Gualterio dato et vendito Fulcaldo.

« Ego Willelmus, abbas sancti Petri, notum esse omnibus volo, me, 1101-1129.
consilio fratrum nostrorum et concessione, quoddam stallum in atrio beate Marie, ad portam ecclesie, datum nobis a quodam juvene, qui ad nos ad conversionem venerat, Galterio scilicet, filio Huberti cementarii, cuidam amico nostro Fulcaldo cerario, tunc vicario, vendidisse, nosque inde habuisse VII libras et X solidos, concedente Floaldo de Valeia, cognato Gualterii. Hoc factum est in capitulo nostro, nostramque defensionem secundum justiciam adversus omnem calumpniam promisimus. Hii affuerunt : Robertus major, Belinus, Robertus marescallus; Doardus et Johannes, frater ejus, clausarius; Godescallus, major Campi Fauni; Rainardus, filius Aventii; Durandus faber, Hugo Coturnix, Fulco de Puteolo, Hugo Bos; Stephanus, filius Rogerii; Petrus, miles ejus; Ansoldus telonearius. »

LXXXIX.

De terra de manso Androldi ad X solidos census Rainaldo, Gaufrido atque Herveo fratribus dato.

« Memoria hujus cyrographi et testimonio ratum esse et indubitabile volumus, ego Guillelmus, abbas sancti Petri Carnotensis, et tota 1101-1129.
nostri monasterii congregatio, utriusque partis successoribus, nos tribus fratribus Rainaldo, Gaufrido, Herveo, terram quam apud mansum Androldi, I mesandro, habebamus, quam idem fratres injuste et

contra voluntatem nostram diu tenuerant, sed tandem, cogente ecclesiastica justicia, dimittere presto erant, hac conditione concessisse, ut unoquoque anno in festo sancti Martini, X solidos Carnotensis monete pro eadem terra nobis censualiter persolvant. Si vero, aliqua causa interveniente, contigerit ut ipsum censum non reddant, terram ipsam absque omni inquietatione liberam ad quod voluerimus faciendum dimittant. Hoc ipsi concesserunt et expetiverunt et ita se ipsos servaturos sacramento firmaverunt. Juraverunt etiam quod eamdem terram neque vendendo neque pignorando neque aliquo alio modo minuerent vel impedirent, et eam que cuidam homini de Galardone pro pignore data fuerat redimere, quam velocius possent, non tardarent. Hoc viderunt hii quorum nomina subscripta sunt : Rainaldus, Gaufridus, Herveus fratres. Ex nostra parte, Laurentius, Adventius miles, Gaudius cellerarius; Gislebertus, filius Laurini; Oidelerius, Alo ortolanus, Aventius et Durandus sartores. »

XC.

De XV[cim] solidis et tribus obolis census ab Hugone Berbello datis.

« .... Hugo, qui Berbellus cognominabatur,.... monachis sancti Petri Carnotensis censum XV solidorum triumque obolorum et V avene sextariorum et unius emine, cum totidem gallinis et panibus, quem habebat apud Golfeias, dedit. Quod concesserunt filii ejus in capitulo sancti Petri, Goffridus, Guido, Guillelmus. Blesi vero Hugo Sine Pecunia, cum conjuge sua Emelina, Margarita videlicet et Maria concessit. Hujus concessionis ex parte illarum fuerunt testes : Guido de Galardone; Ansoldus, filius Godescaldi; Drogo, filius Auberti; Gaufridus, frater mulierum; Ernaldus Aculeus, Teobaldus Carnotensis. Ex parte sancti Petri, Conanus monachus, Engelbertus major; duo monachi sancti Launomari, scilicet Amalricus et Raginaldus. »

XCI.

De dimidia area domus et vineis apud Sanctum Martinum de Valle, ab uxore Garini de Pei Villare datis, et Erico presbitero ad dupplices census traditis.

« Scire debent monachi hujus monasterii, quod filia Guidonis, filii Morini, uxor Garini de Pilli Villari, dedit nobis monachis sancti Petri, in morte sua, pro salute anime sue, dimidiam aream domus apud Sanctum Martinum de Valle, et vinearum retro aream tantum unde simul cum area exibant XVIII denarii census canonicis sancti Martini. Hanc autem aream cum vineis cum duobus annis tenuissemus, censumque inde canonicis reddidissemus, tandem rogavit nos quidam presbiter sancti Martini, Hericus nomine, ut daremus ei illam dimidiam aream et vineas ad dupplices census; ita scilicet ut, singulis annis die qui constitutus est, redderet canonicis predictum censum, et nobis eodem die tantumdem; similiter faceret filius ejus post eum, et quicumque ab eo vel a successoribus ejus haberet. Si autem aliquando vel ipse vel successor ejus hoc facere nollet, id est dupplices census, sicut determinatum est, reddere, revertetur in jus nostrum dimidia area cum vineis sicut essent in illa die; id est si cum edificio, cum edificio; si sine edificio, similiter. Additum est etiam quod, si aliquando ea vellet vendere vel ipse vel successor ejus, darentur dupplices ganti et dupplices vente, sicut dupplices census. Quod cum nobis utile visum fuisset, venit ipse in capitulum nostrum, et concessimus ei et filio ejus, qui cum eo venit, sicut ipse rogaverat. Hoc audierunt et viderunt, ex parte illius, Goscelinus, filius ejus et Ligerius; ex parte nostra, Brien, W., presbyteri; Boso de Fonte Ebraudi; Gualterius, Julduinus, Gaufridus coqui; Rainaldus, nepos Gaufridi coqui. »

XCII.

De tribus arpennis vinee et VII terre apud Sanctum Launomarum a Dodone datis; simulque de proposito capituli eas vel terras vel vineas in dominicatu semper tenendi, et de clausaria Gualterio data.

« Noticiam hanc legentes noverint, quod Dodo de Sancto Martino dedit ecclesie nostre in elemosinam tres arpennos vinearum apud

Sanctum Launomarum, et VII arpennos terre cultibilis ibidem, utrosque tamen post mortem ipsius habendos. Quo in loco, quia et aliam tam terram quam vineas et duos prelos[1] habebamus, ab Oelardo fratribusque suis datos, placuit nobis statutumque in capitulo nostro est, ut nichil terre vinearumque, quas ibi vel habemus vel habituri sumus, unquam vendatur, nec, aliquo quolibet modo, ab jure nostro vel possessione alienetur, sed totum in proprios conventus nostri usus perpetuo retineatur. Quo etiam die, clausariam clausi ejusdem cuidam Gualterio, neptis ejusdem Dodonis marito, in vita sua tantum concessimus. Testes : Ansoldus Godescaldi, Godescallus, Matheus, Christianus, Guigerius, Robertus. »

XCIII.

De XVI denariis census datis ab Odelina uxore Gaufridi Bèse-Déable.

« Posterorum memorie volumus hoc scripto reservari, quod Odelina, uxor Gaufridi Demonem Osculantis, pro ejusdem Gaufridi defuncti salute et Ebrardi filii sui, dedit nobis XVI denarios census quos per singulos annos in quadam domo nostra habebat, que fuerat Arroldi de Bevilla. Concessit autem hoc donum filius ejus Guerricus. Dederunt etiam nobis uterque, mater et filius, quoniam inde XX solidos acceperant caritative, fidejussores Teobaldum, filium Stephani, et Chotardum propinquiores suos. Viderunt hoc Gaufridus, Julduinus, Johannes, Rainardus Aventii. »

XCIV.

De tribus arpennis vinee cum domo et orto a Frogerio Pié Ferré datis, et Hugoni de Leugis, quandiu vixerit, datis.

« Notum sit omnibus hujus ecclesie fratribus, quod quidam homo de Leugis, nomine Frogerius, qui agnominabatur Pes Ferreus, concedente uxore sua Fulcreia, fecit sanctum Petrum heredem rerum

[1] Sic.

suarum, pro remedio anime sue et uxoris sue. Dedit igitur sancto Petro tres agripennos vinearum quos Leugis habebat, et domum suam cum orto, post mortem suam et uxoris habendam. Nos autem, eo mortuo et uxore ejus, dedimus et vineas et domum cum orto Hugoni de Leugis, canonico sancte Marie et archidiacono Blesensi, ut haberet ea in vita sua, et, post mortem ejus vel conversionem vite, ad nos redirent cum omnibus que circa ea acquireret vel edificaret, et etiam cum bestiis, si aliquas ibi haberet. Videntibus et audientibus istis : Gaufrido de Leugis et Hugone, nepote decani. »

XCV.

De clausaria Theobaldi nepotibus ejus Ansoldo atque Odoino commissa.

« Nullo tempore dubium sit, quod, mortuo Theobaldo, clausario nostro, Ansoldus atque Odoinus, ejus nepotes, misericordiam nostram in capitulo nostro adierunt, ut officium custodiendi vineas, quod Theobaldus habuerat, et sicut habuerat, eis concederemus. Nos vero majorem eorum hoc pacto inde revestivimus usque ad XV annos, ut, quacunque hora interim nobis inde inconvenienter servirent, vel forisfacerent quod emendare vel nollent vel non possent, officium perderent. Et hoc audierunt et viderunt Julduinus, Johannes, Gualterius coqui; Christianus pelliparus, Robertus major, Rainerius Claudus. »

XCVI.

Pactum cum Johanne clausario, de officio eodem vel dimittendo ei vel auferendo.

« Tam successoribus quam superstitibus manifestum sit, quod, mortuo Gaufrido clausario, officium ejus custodiendi vineas Johanni, fratri ejus, pro L solidis commisimus, donec parvula filia defuncti Gaufridi ad etatem venisset. Cum vero nubilis foret, si consilio nostro nuberet, in voluntate nostra esset Johanni auferre clausariam et dare viro puelle, vel relinquere Johanni si servicium ejus inde nobis placeret;

et si Johanni auferemus ut viro puelle daremus, de predictis L solidis XXX solidos Johanni redderemus. Cujus rei testes sunt : Christianus pelliparus, Engelardus, Alo ortolanus; Haudricus, filius Baldehildis, et frater Robertus major; Odo pistor; Gaufridus, Gualterius, Gilduinus coqui; Fulbertus pelliparus. »

XCVII.

1131-1141. « Ne forte per incuriam oblivioni tradatur, vel prava dissimulatione, ne ad publicum veniat, supprimatur, dignum duximus, concordiam que inter nos et Girardum Boellum facta est vel quomodo facta fuerit, his litteris annotare. Cum igitur ille Girardus, de rebus his que ecclesie nostre collate fuerant ab antecessoribus suis, multas et crebras nobis injurias fecisset, tandem, reversus ad cor suum, veraciter agnovit, quod tam contra Deum quam etiam contra salutem anime sue, nobis de eisdem rebus calumpniam fecerit. Quod sicut in corde suo veraciter agnovit, ita etiam in capitulo sancte Marie humiliter recognovit et de calumpnia quam injuste fecerat, in manu Zacharie decani [1], rectitudinem fecit; ibique omnia quecunque ab antecessoribus suis nobis data fuerant, non solum nobis libere et absolute possidenda concessit, verum etiam sua donatione confirmavit. Nominatim vero concessit nobis vel potius donavit terram pertinentem ad sanctum Leobinum, terram pertinentem ad Abunvillam; censum quoque XV solidorum cum terra Ceresville, quam habemus ex dono Hildegarii Bufarii, et terram quam habemus ex dono Ansoldi telonearii apud eandem villam. Sed et si uxor Ansoldi vel quilibet heres ejus, de terra quam habent apud Ceresvillam vellent nobis aliquando aliquid dare, hoc nichilominus concessit et confirmavit. Hoc igitur tum in capitulo sancte Marie tum in nostro actum

[1] Zachariæ nomen reperitur in instrumm. ab. a. 1131 usque ad a. 1141. *Gall. Christ.*, t. VIII, col. 1199.

est et confirmatum. In capitulo sancte Marie fuerunt hii testes : Zacharias decanus, Salomon cantor, Rich[illegible] [illegible]diaconus, Willelmus Moignart, Henricus prepositus, Gervasius major, Stephanus salnerius, Willelmus de Cella. In capitulo nostro fuerunt hii : Henricus prepositus, Willelmus Moignat, Ansoldus de Bello Videre, Willelmus de Mungervilla, Willelmus de Bena, Guillelmus Aculeus, Hugo de Canteraine, Gaufridus Rufus, Robertus de Ver, Theobaldus; Girardus, filius Herberti; Amelinus Flagellus, Ansoldus Piel, Odo Gumbal, Gualterius de Exclusis, Laurentius tanator, Gislebertus Laurentii, Hugo Pelleve, Petrus hospitarius, Garinus marescallus, Floherius, Belinus, Odo Gallus, Odo Leodegarii, Fulco, Rainardus, Ansoldus de Cruceio, Andreas Crispal, Radulfus pelliterius, Paganus Callia. »

CXLIX.

De concordia que facta est cum Chotardo, de vineis Stephani, filii Guischardi; et de censiva que est ad pontem sancti Martini.

« .... Stephanus, filius Guischardi, Jerusalem proficisci decernens, 1131-1141.
venit in capitulum nostrum, ibique nobis reliquit duos agripennos vinee, cum censiva XIIII solidorum que est ad pontem sancti Martini, pro salute anime sue et parentum suorum, si tamen eum mori contingeret antequam rediret; sicut et contigit. Parentes ergo illius, Chotardus scilicet et Hubertus, filius ejus, et Ivo de Porta Morardi, cognito ejus obitu, prefatam elemosinam calumpniari ceperunt, et per multa placita nobis eam auferre temptaverunt. Nos vero e contra resistebamus, volentes elemosinam illam possidere, sicut nobis data fuerat, quiete et absolute. Venimus ergo tandem, et nos et ipsi, in capitulum sancte Marie; ibique, pro amore pacis et concordie, dimisimus eas vineas quibus calumpniam imponebant. Ipsi vero dimiserunt nobis, coram Zacaria decano et aliis canonicis, predictam censivam quam nichilominus reclamabant. Que dimissio ita facta est, ut eam ipsi propria donatione confirmaverunt, veraciterque promiserunt quod eam nobis, omni tempore, contra omnes calumpnias defenderent. Hec igitur

concordia, sicut in capitulo sancte Marie tractata est et constituta, ita etiam in nostro capitulo recitata est et confirmata. In capitulo sancte Marie, cum hec concordia fieret, affuerunt hii [illegible] decanus, Guillelmus Moignart, Guido de Sancto Martino, Lambertus de Drocis, Girardus Boel, Hubertus Rufus, Radulfus de Umbleriis, Lambertus vicarius, Floherius, Petrus hospitarius. In capitulo nostro fuerunt : Chotardus, Hubertus, filius ejus; Ivo de Porta Morardi, Paganus, Hubertus Rufus, Vitalis Algais, Ansoldus, Barbo; Garinus, gener ejus; Ernulfus Boslu, Mascelinus cocus, Rainardus Aventii, Floherius, Petrus; Theobaldus, filius ejus; Alcherius; Garinus, filius Rainardi; Gualterius sellarius, filius Pagani; Otranus, Garinus, Hugo, Hubertus. »

CL.

Qualiter Urso, filius Nivelonis de Melliaco, dimisit consuetudines quas habebat in clausum Sigismundi, et quasdam quas habebat in clauso Johannis.

1130-1149. « Quoniam ea que in tempore geruntur, labente tempore etiam a memoria dilabuntur, utile censemus res gestas litteris annotari, ut, si forte a memoria fugerint, in litteris valeant reperiri. His litteris cunctis fidelibus, innotescat, quod Urso Nivelonis de Melliaco quendam clausum nostrum, qui dicitur clausus Sigismundi, ab omni pristina consuetudine seu exactione, quam in eo habuerat vel habebat, liberum nobis ac quietum dimisit, videlicet pro salute anime sue ac parentum suorum; ita quod in eo prorsus nichil sibi retinuit. Nam et latronem et sanguinem et vicariam et minam et omnem justiciam, sed et omnia que in eo habebat vel habere poterat, absque aliqua nobis retentione dimisit ac donavit. Terrulam quoque quandam, eidem clauso contiguam, nobis donavit. Ipsas easdem consuetudines seu exactiones, quas prediximus, habebat predictus Urso in alio quodam clauso nostro, qui dicitur clausus Johannis, quas, eo modo quo supra diximus, donavit ecclesie nostre, pro salute anime sue, excepto quod consuetum censum cum justo terciolo in eo sibi retinuit; cetera vero omnia omnino nobis donavit. Igitur predictus Urso, veniens in capi-

tulum nostrum, de rebus supra memoratis fecit donum in manu domni Udonis abbatis, presente domno Gaufrido, Carnotensi episcopo, et [illegible] personis quarum hic nomina subtitulata sunt. Gualterius archidiaconus, Hugo de Leugis; Hugo, nepos decani; Hamelinus Flager, Rainaldus, nepos Darcheri; Radulfus Hugonis, Guillelmus Ansoldi, Hubertus Rufus, Theobaldus Claro, Hugo de Brueria, Philippus de Merlai, Hugo de Cavernia, Ivo de Bagneolis, Guillelmus de Camarcio; Manienius, famulus ipsius rei; Stephanus monetarius, Blanchardus, Alcherius Aalonis, Petrus de Hospicio, Gislebertus Laurentii; Nivelo, nepos comitisse; Ansoldus Berbellus, Hugo Pelleve, Mascelinus cocus. Postremo, ne donum istud aliquo posset calumpniantium impetu concuti vel infirmari, perrexit domnus Udo abbas apud Fractam Vallem, cum quibusdam monachis nostris, Huberto, Rainardo, Stephano; ubi predictus Urso confirmavit donum quod fecerat, faciens nichilominus illud idem confirmari ab uxore sua Beatrice et a filiis suis Nivelone et Hamelino, sed et a filiabus suis Hersende et Comitissa, necnon et ab uxore filii sui prioris natu, Agaza; qui omnes et simul et singulatim concesserunt hoc donum et confirmaverunt. Testes : ex parte nostra, Herbertus Furrellus, Ricardus Barbatus, Paganus de Sancto Andrea, Hugo de Bruerolis; Guillelmus Aculeus et Robertus, fratres; Theobaldus de Orliaco, Gualterius de Benis, Guillelmus de Benis, Alcherius de Fontaneto, Bodardus, Gaufridus de Islaris, Guillelmus monetarius, Ernaldus Aalonis, Robertus Alcherii. Ex parte Ursonis, Geremias de Insula, Paganus de Froovilla, Paganus de Merlai, Matheus Potirum, Brito de Sancto Carileffo, Girardus de Vilers, Adam de Pireto, Odo de Basochia. »

CLI.

Qualiter Urso de Fracta Valle dimisit consuetudines quas habebat in duobus agripennis vinee quos Belotus lignarius, veniens ad monachatum, contulit ecclesie nostre.

« Ne forte, ut in talibus assolet, oblivioni detur, placuit nobis monachis sancti Petri Carnoti, presenti scripto ad futurorum transferre

noticiam, quod Belotus lignarius, in hoc monasterium nostrum veniens ad monachatum, dedit nobis in elemosinam duos agripennos vinearum, in quibus domnus Urso de Fracta Valle quasdam [illegible] consuetudines vel, si melius dicitur, exactiones. Ipsas ergo consuetudines seu exactiones et omnia prorsus que ibi habebat, donavit ecclesie nostre, pro salute anime sue; excepto quod justiciam forisfactorum et consuetum censum cum justo terciolo sibi retinuit, cetera vero omnia nobis omnino donavit et concessit. Que res acta est in capitulo nostro, coram subscriptis testibus : Hamelino Flagello, Haimerico Begonis, ex parte ejus. Ex parte nostra fuerunt : Gaufridus cellerarius, Mascelinus cocus, Robertus cocus, Ernaldus Botarius, Rogerius portarius, Garinus marescal, Garinus consutor. Item apud Fractam Vallem testes : Girardus de Vilaris, Brito de Sancto Karileffo, Odo de Bretunvilla, Nivelo Palestel; Gaufridus, frater ejus. Ex parte nostra fuerunt Gislebertus et Floherius. Hii omnes affuerunt cum domnus Urso apud Fractam Vallem concederet prefatum pactum, cum uxore sua et filiis et filiabus suis. »

CLII.

De domo quam dedit nobis uxor Gaufridi coqui.

« Noverint omnes tam presentes quam futuri fideles, quod Milesendis, uxor Gaufridi coqui, dedit nobis quandam domum suam, quam scilicet dare poterat aut vendere sine impedimento alicujus rationabilis calumpnie. Hec autem domus cum esset communis Gaufrido viro suo et sibi, partem que virum suum contingebat in suam redegit proprietatem, dum ei vendere concessit quandam aliam domum quam ipsa habebat sibi propriam. Testes : Ivo de Porta Morardi, Theobaldus Claro, Barbotus, Martinus guesdarius, Gosbertus Cospel, Robertus Emparchepen, Hugo Pelleve, Fulbertus presbiter; Agnes, uxor Theobaldi; Maria, filia ejus. »

CLIII.

De IIII^{or} solidis et VIII denariis census a Stephano, Roberto, Huberto fratribus datis, et a Willelmo Aculeo concessis ; et de X solidis census a Rainardo Aventii dimissis.

« Quando Robertus et Hubertus fratres, cum Ada sorore sua et Agnete matre sua, donum quod frater ipsorum Stephanus ecclesie nostre, scilicet sancti Petri Carnoti, moriens fecerat, hoc est IIII^{or} solidos et VIII denarios de censu, in capitulo nostro concedentes confirmaverunt, Willelmus quoque Aculeus, de cujus fevo census idem erat, cum filiis suis et filiabus Roberto et Manasse, Margarita, Odelina, hoc ipsum donum concessit, presentibus et audientibus quorum nomina subscripta sunt testibus : Willelmo de Bena, Radulfo pellifice, Bernardo de Othonis Villa, Gosberto, Rainulfo, Hugone Muscoso, Brite ll, Theobaldo carnifice, Theobaldo feltreio, Rainardo famulo, Vaslino fullone, Legarde, Hersende, Renelde. Est autem eadem censiva in Judearia, in qua prima est domus Raimbaldi Craton. Die autem ipso, in eodem capitulo, Rainaldus, famulus noster, assignavit nobis quibus in locis essent X solidi census quos ecclesie nostre, de qua eos tenebat, donando dimiserat : partem scilicet ejusdem census, id est III solidos, esse in nostro burgo; II solidos Britiniaco; Campi Fauni, XV denarios; reliquam partem apud Manu Villare. »

CLIV.

Cyrographum inter nos et Stephanum, filium Belini, de clausaria ad vitam suam commendata.

« Quando Stephanus, qui et Mainfredus, filius Bilini, Celsam, filiam Teoderici de Chavennis, duxit uxorem, commendavimus eis, nos sancti Petri Carnoti videlicet monachi, clausariam que dicitur Engelardi, ut, quandiu vixerint vel uterque vel alter, eam habeant quasi commendatam, nec heres eorum quicquam in ea unquam clamare feodaliter possit, sicut et ipse prefatus Teodericus nichil se in ea

clamare debere recognovit, presentibus pluribus qui et ejusdem recognitionis et prescripte commendationis testes affuerunt. Quorum hec sunt nomina : Ivo de Porta Morardi; Garinus, filius Breten; Gislebertus et Arnulfus, sacriste; Cochinus, Girardus, ex parte nostra. Ex alia parte, Stephanus clausarius, Rainardus Aventii, Garinus et Radulfus de Chaufo, Stephanus Radulfi, Stephanus clericus; Robertus, qui, eorum virorum ac mulierum conventu, Teoderici filium se esse recognovit; Rainfreda, soror Teoderici. »

CLV.

De terra Camonis Ville ab Odone, filio Ansoldi, nobis data.

« Legentibus litteras istas certum sit omnibus, quod Odo, filius Ansoldi, filii Morini, quando in hoc nostrum sancti Petri videlicet monasterium venit ad monachatum, donavit ecclesie nostre in elemosinam totam terram quam habebat in Belsia, apud Communvillam vel in vicinia, ita liberam sicut et ipse et pater eam, sicut alodum, possederant. Quod ejus donum viderunt et audierunt hii qui presentes affuerunt, quorum hec sunt nomina : Paganus, major sancti Martini; Rogerius Unfredi, Dulcinus Odonis, Hungerius, Avesgotus tinctor, Guillelmus feltreius, Stephanus sellarius, Herveus de Concreis, Barbo, Budinus, Hugo Pelleve, Ivo de Porta Morardi, Garinus de Cepei, Rainoldus de Alneto, Reinerius viarius; Rainardus, filius Iteline; Stephanus clausarius, Rainardus Aventii, Gislebertus Alboin. »

CLVI.

De terra de Ver a Roberto majore nobis ad censum tradita.

Circa a. 1115. « Sciant omnes qui litteras istas legerint, quod Robertus, major de Ver, Jerosolimam proficisci parans, vendidit nobis, sancti Petri Carnoti monachis, quandam terram quam habebat apud Ver, in medio terre nostre, vel ad censum tradidit, singulos aripennos pro VIII de-

nariis. Quod utrumque major ville quam Mainerias vocant, Ansoldus, de cujus fevo erát eadem terra, concessit; seque eam nobis quietam semper defensurum promisit, pollicens quia pro nullo forisfacto terram ipsam saisiret, sed ejus censum. Concesserunt autem et uxor Roberti, Augardis nomine, et Isabel, filia amborum, istud videlicet commercium, presentibus pluribus qui et ejusdem venditionis vel ad censum traditionis testes affuerunt, quorum hec sunt nomina : Gaufridus cellerarius; Mascelinus, Robertus, Rogerius coqui; Gaufridus Taboe. »

CLVII.

De VIII vel IX arpennis terre apud Bellum Locum vel apud Casas, nobis ab Adelina datis, et a Milone, nepote ejus, concessis, immo commutatis.

« Sciant omnes qui scriptum hoc legerint fideles, quod Adelina de Moneta, Huberti, olim Columbensis, nunc autem nostri sancti Petri Carnoti scilicet monachi, mater, quando eam ad conversionem suscepimus, donavit ecclesie nostre in elemosinam unum optimum arpennum vinee in Moncello sancte Marie, et tres partes unius pressorii ibidem siti. At vero Milo monetarius, nepos scilicet ejus, hoc est filius filie ejus, Garini medici videlicet filius, eandem tam vineam quam pressorium simul sibi cupiens retinere, multo sui amicorumque et frequenti rogatu, tandem obtinuit, ut, pro predictis matertere sue donariis, mutua commutatione acciperemus VIII vel IX arpennos terre, quos ipse apud Bellum Locum vel apud Casas possidebat ex paterna hereditate, simulque unum hospitalicium, ibidem apud Casas in nostro censu situm. Est autem eadem utraque terra in censu sancte Marie, reddendo in nativitate sancte Marie. Hanc itaque terram a Milone, ut dictum est, commutatam, vel potius a matertera ejus Adelina in elemosinam datam, ita recepimus, ut predictus Milo perpetue quietudinis se nobis plegium per fidem qua christianus erat dederit, eamque ab uxore sua Odelina et a filia sua Hodierna, adhuc prorsus infantula, nobis concedi fecerit. Horum omnium testes sunt quorum nomina subscripta sunt : ex parte Milonis, Radulfus monetarius, Willelmus

monetarius, Hisnardus monetarius; Garinus, filius Stephani, filii Heri; Milo et Odelina, uxor ejus; Milesendis, Algardis. Ex nostra parte, Fulbertus et Andreas presbiteri, Gualterius Britellus, Johannes de Galadone, Ernaldus de Pigre, Osbertus pellifex, Petrus hospitalarius, Gislebertus marescallus, Garinus marescallus, Rainardus Aventii, Berta, Maria, Solina, Adelina. »

CLVIII.

De XVII arpennis terre apud Cereris Villam a Legarde, uxore Ansoldi, nobis donatis.

« Quoniam adversus eos, qui ea que bene geruntur a bonis vel pervertere moliuntur vel ad nichilum redigere, nonnullum solet esse munimentum monimenta litterarum, curavimus nos sancti Petri Carnoti monachi, scripti hujus noticia nostrorum premunire noticiam posterorum, quod Legardis, que fuerat uxor Ansoldi, filii Rogerii, post mortem ejusdem viri sui, tam pro sua quam pro illius anima, donavit ecclesie nostre in elemosinam, ejus quam simul emerant simulque possederant apud Cereris Villam terre portionem non minimam; medietatem scilicet culture illius, cujus alteram medietatem moriens predictus nobis donaverat Ansoldus, hoc est XVII, aut non multo minus arpennos, qui, tam ex hujus dono quam ex illius, fere XXXVI vel VII arpenni sunt. Donavit autem tam liberam et quietam eandem terram, quam libere et quiete et emerat eam cum prefato viro suo et post mortem etiam ipsius possederat, quamque idem vir suus, cum res suas divideret sub testamento moriturus, eidem uxori sue sequestraverat in partem; omnibus filiis et propinquis suis concedentibus, ut eandem terram cuique vellet vel vendere posset vel donare. In hac itaque quietudine et libertate eandem terram prefata nobis Legardis, sicut dictum est, in elemosinam donavit, presentibus filiis suis et concedentibus, quorum hec sunt nomina : Clemens, Johannes, Symon, Stephanus, Vincentius, Benedictus. Testium vero nomina sunt hec : Hugo presbiter, Guido canonicus, Fulbertus presbiter, Ivo de Porta Morardi, Durandus Mansel, Rogerius portarius, Osbertus,

Rainoldus carpentarius, Guillelmus Ebrardi, Gislebertus, Stephanus clausarius, Gualterius sellarius, Rogerius Marescot, Gaufridus carpentarius, Burgevin, Rainaldus; Gila, uxor Teodorici; Floherius, Hugo Pelleve, Gislebertus sacristes et plures alii. »

CLIX.

Quando feodatis ecclesie nostre servientibus vel etiam conducticiis vinum dandum sit vel negandum.

« Ego Guillelmus, abbas dictus hujus Carnotensis cenobii, volo 1101-1129.
hujus scripti fideli recitatione ad nobis succedentium noticiam transmittere, quia predecessorum nostrorum fuerat moris subtrahere cunctis famulis, tam servituti obnoxiis quam liberis, vinum famulatorie impense, quando ipsius vini raritas, nobis et illis non sufficientis, minabatur defectum ante innovationem redeuntis vindemie. Unde ego, cum, secundum hujus statuti ritum, predictis famulis vinum solitum non dari jussissem, ob hoc murmurantes, ad presentiam judicii me invitaverunt. Quibus ego modeste respondens, rectitudinem justicie eis proposui. Accepto itaque die placitandi, sue causationi diffidentes, presens judicium audire renuerunt. Presentes igitur judices concorditer justum esse dixerunt, ut sententia judicii ad quod ipsi nos invitaverant et quod eis oblatum audire noluerant, super predictos famulos firmaretur, cui amodo semper subjacerent. Que sententia hujus modi erat : quotiens vinum cellerarii et nobis et illis usque ad tempus redeuntis vindemie non sufficeret, cum eis vinum subduceretur jussu capituli, nullatenus aliqua murmurationis querimonia adversum nos obstreperent; presertim cum plures eorum nobis essent famuli servitutis vinculo obnoxii, quos, si necessitas urgeret, licebat quolibet modo in nostris usibus insumere, nec propter eos vinum esse emendum quotiens vinum famulatorie expense cellerarii defecerit. Hujus rei testes subscripti tenentur : Fulco archidiaconus, Guillelmus archidiaconus, Robertus, Teobaldus Teidulfi, Moreherius, Gaszo de Spar; Herveus, frater ejus; Ansoldus Infans, Garinus. Ex parte eorum, Gau-

fridus de Bar, Ansoldus Morini, Adventius miles;.... Adventius sartor,... Gosbertus Hilduini;... Rainardus, filius Adventii; Gaufridus, Gualterius, Gilduinus coqui; Odo pistor, Berengerius, Durandus, Robertus infirmarius. »

CLX.

Quomodo Mascelinus, major Reconis Villaris, se erga ecclesiam nostram debeat habere.

1101-1129. « Ad removendum contentionis obstaculum, ego Willelmus abbas scribendo ad noticiam nobis succedentium procuro transmittere, quia, ob multimodas contumelias quas nobis ingerebat, Mascelinum de Reconvillari, nostrum famulum, cum fratre suo Teidardo in carcerem trusimus, et tali modo de predictis injuriis ad congruam satisfactionem revocantes correximus. Ligavimus ergo eum juramenti vinculo, quod, sine jussu monachi res illas procurantis, nec boscum nostrum nec terram nostram alicui venderet nec daret; et placitatorias causas ubi monachus vellet ibidem ageret; et, si aliquando indigeret aliquid a rusticis querere, si quilibet eorum illud ei denegaret, non iccirco deneganti quodvis dampnum inferret; et, quando eum abbas vel capitulum submoneret reddere suum caballum et sui fratris, si forte eos non haberet, LX solidos pro ipsis caballis solveret; et, si quando abbas vel, absente abbate, capitulum juberet, in carcerem rediret, nisi legitima impossibilitas ab hoc eum revocaret; nichilominus, transacto impossibilitatis obstaculo, nostre incarcerationi se presentaret, nec ob hanc incarcerationem nostris rebus per se vel per aliquem aliquam infestationem inferret; nec officium cujuslibet potestatis, nisi, preeunte nostra licentia, ab aliquo susciperet, susceptam quoque, si deprehenderemus nobis esse nocivam, ad nostram jussionem statim dimitteret. Hec omnia Mascelinus et frater ejus observare se juraverunt. Subscripti quoque obsides in sui jurisjurandi sanctione confirmaverunt, si Mascelinus, violato sacramento, nobis jubentibus, in carcerem redire nollet, eum, si possent, infra VIII^{to} dies, nostris manciparent vinculis; quod, si non possent, pecuniam hic unicuique eorum designatam, terminis nostra moderatione statutis, persolve-

rent : Gualterius de Berneri Villa, L solidos; Ricardus, frater ejus, L solidos; Robertus de Morrevillari, C solidos; Teiscelinus, C solidos; Johannes de Garenna, XX solidos; Girbertus de Hunvilla, XX solidos; Rogerius, filius Teiscelini, XX solidos; Hubertus carnifex, XX solidos; Johannes de Calvaria, XX solidos; Gallinus, X solidos; Unfridus, X solidos; Teiscelinus de Manso Alberici, X solidos; Gualterius de Morloco, L solidos. »

CLXI.

De dimidio molendino a Germundo de Sancto Albino nobis dato, et a Pagano de Sendarvilla calumpniato prius et postmodum concesso.

« Omnibus hoc scriptum legentibus vel audientibus innotescat, quod Germundus de Sancto Albino, veniens ad monachatum, dedit nobis in elemosinam dimidium unius molendini, concedentibus tam uxore sua quam filiis et filiabus suis. Deinde Paganus de Sendarvilla, predicte elemosine calumpniam imponens, ad molendinum venit, annonam, que nostra erat, de eodem molendino violenter absportavit. Quod cum fecisset, submonitus ad justiciam, defecit; unde et per aliquot tempus sub anathemate fuit. Tandem, reversus ad cor, injusticiam et vidit et recognovit, et quod non recte fecerat, rectum faciendo, coram subscriptis testibus emendavit. Testes : ex parte ejus, Ivo, predicti Germundi filius, qui et ibidem predictam elemosinam repetita concessione confirmavit. Ex parte nostra fuerunt Belinus, Mascelinus cocus, Petrus hospitalarius; Gilduinus cocus et Robertus, filius ejus, et Gislebertus sacristes, et alii plures. »

CLXII.

De XV solidis census a Haimerico Chanardo, prope ecclesiam sancti Michaelis siti, nobis donatis.

« Eo tempore quo domnus Udo hujus nostri, sancti Petri Carnoti 1130 1150.
scilicet, monasterii erat abbas, quidam frater ejus Haimericus, cogno-

mine Chanardus, cum ea qua postmodum defunctus est infirmitate egrotaret, monachatus succursum flagitans, ad hanc nostram confugit ecclesiam. Qui libenter receptus, donavit in elemosinam ecclesie nostre, pro salute anime sue, quod in rebus suis, quas multas possederat, preclarum erat; quindecim videlicet solidos census et tres obolos, fratre suo domno Udone abbate modis omnibus ut hoc fieret annuente. Cujus elemosine donum Eremburgis, ejusdem Haimerici uxor, una cum filia sua Hildegarde quam de eodem viro suo susceperat, gratantissime concessit. Concessit hoc et Robertus, prefati datoris nepos, qui in serie cognationis propinquior veniebat. Est autem idem census, ad occidentem hujus Carnotensis urbis, prope sancti Michaelis ecclesiam, situs, ita quietus et ab omni aliene donationis liber, utpote alodus, ut in nulla consuetudine cujusquam sit potestati obnoxius, excepto quod monachis de Blesi VI solummodo denarii de capitali censu annuatim debentur, festo sancti Michaelis, quando et reliqui nobis, reddendi. Quando autem hoc donum factum est, presentes affuerunt hii quorum nomina subscripta sunt testes : Fulbertus et Haldricus presbiteri, Guido major, Robertus de monte Given, Petrus hospitalarius, Rainardus Adventii, Mascelinus cocus, Floherius, Dulcinus, Stephanus Hermandi, Budinus, Raimburgis; Amelina, uxor Laurentii; Raineldis, uxor Roberti; Celsa, Ermengardis. »

CLXIII.

Quod canonici sancti Johannis de Valeia pro prebenda sancti Martini de Valle annuatim nobis reddere debeant.

18 jan. 1131/1132. « * Ego [1] Gaufridus, Carnotensis, Dei gratia, episcopus, notum fieri volo tam presentibus quam futuris ecclesie Christi fidelibus, quod canonici sancti Johannis de Valeia habebant in ecclesia sancti Martini de Valle annuales defunctorum canonicorum, et monachi sancti Petri Carnotensis unam prebendam, et leprosi alteram. Que quidem ecclesia,

[1] Hanc chartam habes editam in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 327.

cum postmodum a nobis, Majoris Monasterii monachis, assensu comitis Theobaldi, jussu ac voluntate domini pape Honorii, data fuisset et litteris confirmata, consilium tam nostrum quam ejusdem comitis fuit, ut eas soli predicti Majoris Monasterii monachi obtinerent; canonici vero, pro annualibus suis, et monachi sancti Petri sive leprosi, pro prebendis suis, competentem aliunde redditum acciperent. Diligenti itaque habita consideratione, consilio multorum virorum sapientum, necnon et domno papa Innocentio approbante, quicquid sepe dicti Majoris Monasterii monachi in ecclesia sancti Nicholai de Curva Villa habebant vel habituri erant, in manu nostra, unde ecclesiam illam habuerant, reddiderunt, et nos eandem ecclesiam canonicis sancti Johannis de Valeia donavimus; ipsi vero annuales quos in ecclesia sancti Martini capiebant, monachis Majoris Monasterii, eas possidentibus, dimiserunt; et duas illas prebendas, quas monachi sancti Petri et leprosi in eadem ecclesia sancti Martini habebant, deinceps tam monachis sancti Petri quam leprosis de suo reddere concesserunt. Unde et competenti estimatione, tam a nobis quam etiam a domno Theobaldo comite et aliis sapientibus viris, pacis et concordie causa, statutum est et ab utraque parte concessum, ut annis singulis reddant canonici de Valeia monachis sancti Petri, pro prebenda illa sancti Martini, LX solidos Carnotenses, et in eorum deferant cellarium IIII[or] modios et dimidium annone de Loen et duos modios avene, et duos sextarios pisarum et duos modios vini competentis. Hoc etiam provisum est, ut monachi sancti Petri, ad videndum et recipiendum supradictam annone, avene et pisarum mensuram, aliquem de suis in Loen transmittant. Terminus horum reddendorum sic est : in augusto, annona ; tempore vindemiarum, vinum competens ; denariorum, XX solidi primi in festivitate hiemali beati Martini, alii XX in capite Quadragesime, ultimi XX in Pentechoste. Quod si tanta contigerit vini paucitas aliquo anno, ut, tempore vindemiarum, supra XX solidos modius vini vendatur, pro duobus modiis consuetis X solidos reddent. Similiter et leprosis, pro sua prebenda, ipsi canonici in omnibus reddent. Concesserunt etiam canonici et promiserunt, monachos Majoris Monasterii se ita quietos semper facturos de duabus illis prebendis et

omnino liberos, ut quicquid contigerit inter monachos sancti Petri et canonicos seu leprosos pro eisdem prebendis, nichil a monachis Majoris Monasterii deinceps quereletur. Hec vero concordia prius in domo nostra Carnoti, presente Theobaldo comite et Andrea de Baldimento, et Udone sancti Petri abbate cum monachis suis Conano, Rainfredo et Radulfo Sapientia, et Hugone Valeiense abbate et priore suo Hermando et Hilgoto canonico, tractata est atque concessa; ubi ego pro leprosis interfui, quia nox erat et, pro infirmitate sua, ipsi per se interesse non poterant, sed totam rem in manu nostra posuerant. Affuit etiam domnus Bernardus Clarevallensis, Gualterius archidiaconus, Zacharias subdecanus, Hugo de Leugis, Willelmus Moignart, Paganus Paiotus; Gualterius, prior sancti Martini de Valle; Gualterius de Chamartio, Johannes sacrista, Gaufridus carpentarius. Postea autem, in capitulo sancti Johannis de Valeia, similiter est concessa ista concordia in presentia nostra; ubi etiam affuerunt Hugo, abbas sancti Johannis cum toto capitulo suo; Udo, abbas sancti Petri; Conanus, monachus ejus; Gualterius, prior sancti Martini; Gualterius de Chamartio; Goslenus, frater meus; Guillelmus, filius Ansoldi; Rainardus, miles ejus; Baldricus prepositus; Paganus, major sancti Martini; Vitalis, filius Algardis; Ingelbertus cellerarius, Gaufridus de Orli, Vitalis clausarius, Gilduinus de Belvidere, Radulfus de Chamartio. In capitulo etiam sancti Petri concessa est ista concordia in presentia nostra; ubi interfuerunt Udo abbas cum toto capitulo suo; Gualterius archidiaconus, Andreas de Baldimento, Hugo de Leugis; Goslenus prepositus, nepos meus; Robertus Beneventus, Baldricus prepositus, Ansoldus telonearius; Goinus magister pellitarius; Haimericus, major Beisville; Teobaldus, major de Novillari; Paganus, major sancti Martini; Vitalis Algardis, Ingelbertus cellerarius; Constantinus et Oilardus, frater ejus. In conventu quoque leprosorum hec concessa est concordia in presentia similiter nostra; presentibus etiam Johanne, episcopo Sagiensi; Bernardo, abbate Clarevallensi; Gualterio, priore sancti Martini; Gualterio de Chamartio; Gosleno, fratre meo; Gosleno nepote, Roberto clerico, Guillelmo de Belvidere. De servientibus leprosorum, Garino de Chirai, Bernardo Filosa, Blan-

chardo. De famulis monachorum, Pagano majore, Vitale Algardis, Ingelberto cellerario, Gualterio Hure, Vitale de Chasent, Gilduino de Furno, Gaufrido de Orli, Radulfo de Chamart et Martino. Ego etiam hanc concordiam, una cum Theobaldo comite, feci et concessi, et, ut in perpetuum firma permaneat, sigilli nostri munimento firmavi. Actum anno ab incarnatione Domini MCXXXI°, indictione IX, epacte XX, concurrente III, XV kalendas februarii. »

CLXIV.

Scriptum Hugonis, abbatis sancti Johannis, de eadem re.

« Ego Hugo, Dei gratia, abbas sancti Johannis de Valeia, filii Anno 1132.
quoque et fratres nostri prebendam unam in ecclesia nostra habendam concedimus monachis sancti Petri Carnoti, in commutationem illius prebende quam in ecclesia sancti Martini de Valle habere solebant idem predicti monachi; cujus prebende redditus plenarie est determinatus in cartula illa, quam assensu et sigillo suo confirmavit domnus Gaufridus de Leugis, Carnotensis episcopus, cum aliis viris sapientibus. »

CLXV.

Panagraphum, id est plurimas res sub uno capitulo continens scriptum, pro diversarum rerum notione sepius relegendum; quarum alie ad camerariam, alie ad capiceriam pertinent, alie brevius, alie diutius durature. Que omnia iccirco capitulatim non sunt hic enumerata, quia ipsa eorum capitalia scripta capitulari sunt brevitate perstricta; unde nec capitulanda michi visa sunt, sed ipsa potius pro capitulis habenda.

« Sciendum quod tres fratres Oidelardus, Fulcherius et Doardus dederunt nobis, sancti Petri Carnoti scilicet monachis, VI arpennos 1135-1143.
vinearum et dimidium apud Luisantum, sitos in diversis locis in parrochia sancti Launomari, et duo pressoria juxta prefatam ecclesiam sita; que scilicet duo pressoria Johanni Bones Mens ad vitam suam a nobis sunt commodata, cum duobus arpennis vinearum quorum unus eisdem pressoriis est contiguus, alter prope ecclesiam sancti Launomari

ultra viam situs, prope vineas ejusdem Johannis Bones Mens. De quibus duobus arpennis sciendum, quod ab omni sunt consuetudine liberi, preter decimam et censum sancti Martini consuetudinarium.

De eisdem quoque vineis unum arpennum, in valle Ulberti situm, Unfredo clausario constat a nobis ita esse traditum, anno ab incarnatione Domini MCXXXV°. usque ad XV annos, ut annuatim reddat nobis festo sancti Martini V solidos Carnotenses et dimidium.

Juxta eundem arpennum habet a nobis alterum arpennum Aufredus hastarius ad tantundem censum, usque ad XX annos a prescripto termino tenendum.

Sunt etiam de eisdem vineis unus arpennus et dimidius supra vinarium comitisse, quos Roardo clerico tradidimus ad medietatem, termino, quod supra, usque ad XV annos; ita ut in facturis vinee, preter dimidium vindemie, nichil mittamus, et medietatem fructus habeamus. Medietatem tamen census, hoc est IIII^or denarios et obolum, nobis, festo sancti Martini, ipse reddet.

Unum qui de eisdem vineis superest arpennum, in valle Luisanti, juxta domum Ricardi, nos dominicatu tenemus. Idem autem Ricardus sciendum quia debet nobis annuatim duos solidos census de quadam parte domus sue et de terra ante domum eandem sita.

Sciendum denique vineas istas in censu sancti Martini totas esse sitas, singulos scilicet arpennos ad VI denarios census, festo sancti Martini reddendos.

De elemosina predictorum trium fratrum habemus X arpennos cultilis terre in diversis locis sitos, in territorio et consuetudine sancti Martini, prope crucem Hugonis; quorum VI sunt ex una parte vie publice, et IIII^or e regione ex altera parte vie ejusdem. Undecimum etiam arpennum de eadem elemosina habemus juxta vineas de Bergi Villa, prope viam per vinarium comitisse venientem. Hanc totam terram tradidimus, pro amore, cuidam probo viro, Gualterio scilicet Hure, quandiu vel ipse vel nos voluerimus habendam.

Sunt preterea IIII^or arpenni terre in loco quem Solarias vocant, quorum tercia pars de elemosina predictorum trium fratrum nostri juris est; due sunt cujusdam Ricardi. Quam terram prefatus Gualte-

rius Hure in gagio totam tenet pro VIII^to libris Carnotensibus. Sciendum tamen dimidium arpennum ejusdem terre vineam esse, suntque isti IIII^or arpenni in censu sancti Martini.

Ad pontem sancti Martini habemus unum pratum, juxta pratum Biote situm, a quodam Stephano, filio Guischardi, panetario comitis, nobis donatum. Quod scilicet pratum quidam Roardus tenet de ecclesia nostra ad XIIII solidos census, annuatim nobis, festo sancti Martini, reddendos; de quibus VII denarii census eodem termino sunt sancto Martino reddendi.

Ibidem, ad pontem sancti Martini, juxta vineam Fulconis Chantel, de orto quodam reddunt ecclesie nostre annuatim filii Mainerii minutoris XV denarios census, festo sancti Martini, de quibus tres denarii eodem termino sancto Martino reddendi sunt.

Domum etiam quandam, cum curtillo et viridario, a Rainaldo de Ranaria, ibidem sitam, et nobis, quando venit ad monachatum, ab ipso donatam, tradidimus Radulfo ad VII solidos census per annum, festo sancti Martini reddendos; quorum XII denarii eodem termino Roberto de Beevilla sunt reddendi. Qui Radulfus scilicet dedit nobis in contraplegium de censu domum quandam quam habet retro furnum Biote, ita ut eam vendere nec ipse possit nisi consessu nostro, nec quisquam de eodem plegio foras eam mittere.

Habemus etiam curtillam unam prope locum qui dicitur Le Barbou, a Harpino et fratre suo pro libertate sororis sue nobis donatam, quam camerarius noster, quam questuosius potest, habet locandam.

Sed et in turre sancte Marie habemus unum stallum cerarium, a Gilone filio Giroldi, quando ad monachatum venit, nobis donatum, post mortem tamen matris ejusdem Gilonis habendum.

Ad Portam quoque Novam, in Creolt, habet ecclesia nostra unum stallum quem Radulfus Conduit, pro libertate sua, nobis donavit, de quo camerarius noster habet annuatim X vel XI solidos, vel quantum plus potest; de quo stallo IIII^or denarii census, festo sancti Remigii, Alcherio, filio Adelonis, annuatim sunt reddendi.

De una asinata terre, a Petro de Orlu nobis, pro libertate sua, donata, reddit annuatim X solidos camerario nostro, festo sancti Remi-

gii, Teodericus de Mauri Villa; ita tamen quod de eadem terra totas nichilominus consuetudines reddet.

Sed et de platea quam Ansoldus Berbellus, filius Ansoldi, nobis donavit, X solidos census, festo sancti Petri, de more nobis hospites reddunt; quorum tres solidi et VII denarii ad coquinam, reliqui ad cameram pertinent.

Mascelinus de Reconvillari debet camere nostre VI denarios census de platea in qua sedet grangia ejus, festo sancti Pẹtri de more reddendos.

Sed et apud Senlenvillam habemus parum decime, quam nobis Gilo custodit.

De reditu capicerie nostre debet major Mendre Ville XXVII solidos census, et VIII denarios festo sancti Remigii, itemque V solidos census festo omnium sanctorum reddendos; sed et campipartem, quam capiceria nostra in ejusdem ville territorio habet, major idem et colligit nobis quandiu voluerimus et reddit.

Habet eadem obedientia quoddam pratum apud Tageni Villam, quod dicitur pratum Dodonis, ad quam majorem per annum censivam capicerius poterit et cui voluerit tradendum. Interim vero de eo VI solidi et IIII^or denarii habentur per annum.

Sed et apud Moncellos habet eadem obedientia unum dimidium molendinum, liberum, ad cuicunque melius poterit locandum, vel in manu sua, si voluerit sacristes, tenendum; de quo mulnarius qui eum nunc tenet IIII^or modios annone hibernalis reddit per annum.

Tres quoque quadras vinee habet eadem obedientia apud Reculetum, que vinea, anno ab incarnatione Domini MCXXXIII°, tradita fuit cuidam Ricardo usque ad X annos, ad XII solidos census et IX denarios, festo sancti Remigii reddendos, quorum IX denarii coquinario nostro redduntur. De qua vinea sciendum quod omnes redditus libere sunt ecclesie nostre.

Item, super alnetum sancti Martini sunt eidem obedientie II arpenni vinee, quam totam vineam, termino quo supra, Arnulfus Boslu et Oilardus acceperunt a nobis ad XVIII^to solidos et IIII^or denarios et obolum de censu per annum, festo sancti Martini, reddendos, et hoc

usque ad X annos; cujus censive IIII^or denarii et obolus canonicis sancti Martini, ejus festo, reddendi sunt, pro tribus scilicet vinee ejusdem[1]. Nam V relique quadre, cum omnibus exitibus suis, preter decimam, ecclesie nostre sunt libere.

Item, apud Achiacum de terra ad IIII^or boves, cujus partem, cum majoria, Garnerius tenet ad vitam tantummodo suam, eidem obedientie Garnerius idem omnes exitus, preter decimam, et colligit et reddit.

Sed et apud Levoisvillam, de IIII^or bovatis terre eadem obedientia campipartem et pastus augusti, insuper et omnes alios redditus debet habere.

Ad eandem obedientiam pertinet Pomerata, cum omnibus exitibus suis; quod est parte decime, campiparte tota, tota avena de oblivionibus, et XII solidis de obliviis, et VI solidis de censu festo sancti Mauricii.

Habet item obedientia eadem totam decimam de tota terra quam Hugo, filius Haimerici, cepit de matrimonio cum filia Raimberti Cholet; est autem eadem terra versus Treionium sita.

Item, apud fraxinetum sancti Martini, de duabus bovatis terre a Gausleno Divite datis, habet eadem obedientia campipartem et XII denarios de pastu.

De Purlaico etiam habet eadem obedientia terciam partem decime et duas partes decime de Grogeria.

Habet et in loco qui vocatur Gonescurens eadem obedientia terram ad VIII sextarios sementis, que terra vocatur campus sancti Petri.

Item, apud Campum Fauni, habet obedientia eadem unum hospitem, et VIII denarios et obolum de censu per annum, festo sancti Petri reddentem. Habet ibidem et decimam de annona.

Apud Orliarum quoque, habet eadem obediencia terram ad VIII sextarios sementis, de qua colonus cum campiparte reddit, in natali Domini, II solidos per annum. De qua terra sciendum, quod qui eam nunc tenet colonus non nisi quandiu voluerimus eam est habiturus.

Sed et apud Pinum habet eadem obedientia dimidiam bovatam terre, et XII denarios census de hospitalicio uno cum arpenno.

[1] Suppl. *quadris*.

Item, apud Bonvillam, habet meditariam unam quam tenet Hildulfus.

De censu Cereris Ville debentur Willelmo Neffle, festo sancti Remigii, XXVI solidi et IX denarii; eidem, festo sancti Mauricii, VI denarii; filiis Amaurici de Levesvilla, VII solidi et IIII^or denarii eodem festo; Gaufrido Britello, VI denarii festo omnium sanctorum; Ernaudo de Isis, XV denarii, quos recipit Radulfus de Manu-Villari; capitulo sancte Marie, II solidi ad festum sancti Remigii, quos recipit major ejusdem ville; Pagano de Bruerolis, V solidi et V denarii et obolus, festo sancti Dionisii, quos recipit Rogerius de Cereris Villa.

De terra de Sboldis que fuit Guillelmi Pulli, IX denarii episcopo, quos recipit Hubertus Rufus.

De terra Bufferii debet nobis Herbertus major X solidos et III denarios; Quinardus, IX denarios; Hubertus, IX denarios; Stephanus, nepos Herberti, II solidos et III denarios et obolum; Osbertus, III denarios; Giroldus II denarios et obolum; Garinus, VII denarios et obolum. Summa hujus census XV solidi et III oboli; terminus ejus festum sancti Remigii.

CLXVI.

Quod Robertus, burgi nostri quondam major, juravit se sine assensu nostro nunquam conjugandum.

1130-1150. « Ego frater Udo, Dei gratia, abbas sancti Petri Carnoti, simulque nostri monachi, notum omnibus fieri volumus, quod Robertus, noster major de Burgo, submonitione nostra, quia eum suspicabamus quod de dominio nostro vellet exire, in domum nostram venit, ibique super sanctas reliquias juravit quod nullam duceret uxorem sine assensu nostro et capituli nostri. Dedit etiam de hac re plegeios de C libris, hic subscriptos : Albertum, majorem Emprenville, de XX libris; Ranerium vicarium, de XX libris; Rainardum Adventii, de X libris; Budinum et Teobaldum, de XX libris; Petrum de hospicio, de C solidis; Nodardum ortolanum, de C solidis; Hugonem de Sesni Villa, de X libris; Arnulfum sacristam, de X li-

bris. Hujus rei testes sunt isti : Baldricus Francigena, Barbotus, Gaufridus Chanardus, Gosbertus Cospel, et ipsi plegii predicti. »

CLXVII.

Quid feodatis ecclesie nostre a nobis, et quid ab ipsis nobis debeatur.

« Rainardus Adventii II modios annone habet in Loen et duos panes, I candidum et I vasselerium, et II extoldos vini, avenam et forragium equo suo; et debet assidue de equo servire, nec debet eum sine licencia minuere. Gislebertus Laurentii XVI sextarios, II extoldos et I vaselerium; et servicium de equo debet, et corregium habebit equo sicut Rainardus. Garinus marescallus XVI sextarios, II^{os} extoldos et I vaselerium, et corregium et servitium de equo sicut Rainardus. Odo Ligerii VIII sextarios, I extoldum, I grisam; servicium, et corregium equo suo, sicut Rainardus. Odo Gumbaldi duos modios et VIII sextarios, II extoldos et I grisam; quando submonebitur serviet de equo, tunc habebit corregium equo. Gislebertus sacristes XVI sextarios, II extoldos, I vaselerium et sua festa de sacristia; servire vero debet de equo pro censu de Paradiso. Ernulfus, in vita sua sacristes, I modium, II extoldos, I vaselerium et sua festa. Guillelmus de Parisio VIII sextarios, I extoldum, I vaselerium; et servicium debet de equo quando submonebitur. Roscelinus VIII sextarios, I extoldum, I vaselerium; et ipse debet servicium de equo. Lavendarius II modios, II extoldos, I vabisum et II vaselerios. Budinus I modium, I vaselerium, II extoldos et sua festa. Gaufridus cocus I modium, II extoldos et sua festa et I vaselerium. Gilduinus VIII sextarios, II extoldos, I vaselerium et sua festa. Gislebertus costurarius I modium, I vaselerium, I extoldum et sua festa. Portarius VIII sextarios, I extoldum, I vaselerium et sua festa. Doardus, in vita sua, VIII sextarios, I extoldum, II vaselerios. Corvesarius ecclesie XVI sextarios, II extoldos, I vaselerium et sua festa. Portarius VIII sextarios, I extoldum, I vaselerium et sua festa. Clausarii unusquisque VIII sextarios, I extoldum, I vaselerium. Johannes clausarius VII sextarios, I panem pro misericordia in vita sua. Lignarii in Na-

tali IIIIor sextarios vini et IIIIor michas; similiter servientes sanctimonilium de Jorra. Petrus hospitalarius in vita sua VIII sextarios, I extoldum, I vaselerium et sua festa. Noudoardus, in vita sua, I modium et I bisum et II vaselerios et I extoldum. Paganus La Caille II modios et I panem et duos terciolos vini. Hersendis, famula infirmorum, VI sextarios. Guerricus Basians Demonem servit de equo pro feodo et censu quem habet in vico Predicatorum et terra de Pinu. Guillelmus Ansoldi servit abbati de equo de feodo quem tenet ab eo. Major de Cluvillari servit de equo de feodo David Sancti Germani. Durandus, nepos Durandi, servit de equo. Haimericus, filius Moreher, debet servire de equo de feodo quem tenet ab abbate. Filii Gaufridi de Grosso Loco serviunt de equo de fedo de Grosso Loco. Haimericus de Boesvilla debet servire de equo pro fedo Gualterii clerici. Filii Stephani militis serviunt de equo pro fedo de Campi Fauno et de Moncellis et de aliis rebus, ipsi quoque aperturam pressorio de Campi Fauno [1]. Rainaudus de Laesvilla pro fedo suo servit de equo. Feodum Rainaudi Brejum servit de equo. Robertus de Truncheto servit de equo pro feodo de Bunci et pro aliis rebus. Feodum Angilberti Persot servit de equo. Feodum Gradulfi Bossel, quod est Mereletis et Carnoto et alibi, servit de equo. Fedum de Pentoisum servit de equo. Garinus Gadellus servit de equo, quod fedum est Mosteriolo. »

CLXVIII.

De XXVI libris quas nobis ex dono Hugonis debent Isnardus et Burgevin.

Anno 1137. « De XXVI libris Carnotensibus quas Isnardus monetarius et Burgevin debebant Hugoni presbitero, quasque idem Hugo huic nostre sancti Petri ecclesie in elemosinam donavit, ita definitum et pactum, ut ambo prefati debitores de eodem debito non nisi ecclesie nostre, ipso Hugone concedente, ultra respondeant, et ita ut ab hoc anno, qui est ab incarnatione Domini MCXXXVIIus, singulis annis, quisque debitorum XX solidos, id est ambo XL, nativitate sancte Marie,

[1] Sic.

reddant; eo tenore, ut, si alter quilibet eorundem debitorum suos XX solidos reddere neglexerit, alter totam summam, id est XL solidos, similiter nichilominus reddat; de vineis illis quas Hugo presbiter pro eodem debito in gagium habuerat, quasque similiter nos in gagium habemus, damnum suum recompensaturus. Si vero contigerit, ut ante solutum debitum vel alter vel uterque debitor decedat, heredes eorum de debito eodem ecclesie nostre similiter respondere debere determinatum est et pactum. Quod videlicet pactum ambo idem debitores per fidem qua christiani erant se tenere spoponderunt; et uxores et filii amborum concesserunt. Testes : Guido cancellarius et Willelmus Qui non bibit de aqua, canonici sancte Marie; Paganus, decanus de Bretelli Curia; Horricus de Galar, et Bartholomeus causidicus, et Stephanus, clerici; Paganus, major sancti Martini et Aubertus, frater ejus; Vitalis, Willelmus Haton, Teobaldus, Floherius; Herveus, serviens Hugonis; Popinus et Theobaldus pellifex; Normannus monetarius, et plures alii; et filii Burgevin, Berengerius et Hugo; filii Isnardi, Gilo et Isnardus. »

CLXIX.

De dimidio furno ab Adelardo Rufo apud Sanctum Caraunum nobis dato.

« Noverint omnes, qui scriptum hoc legerint, hujus nostri, sancti Petri Carnoti scilicet, monasterii fratres, quia, quando Hermannus, filius Adelardi Rufi, ad monachatum ad nos venit, idem pater ejus, Adelardus scilicet, et mater ejus, nomine Agnes, medietatem cujusdam sui furni, quem in vico sancti Carauni simul olim emerant, ecclesie nostre in elemosinam pari assensu contribuerunt, eodem scilicet die quo prefatus filius suus ad monachatum a nobis est susceptus, ob ejus amorem beneficium hoc monasterio nostro in plenario capitulo conferentes. Viderunt hoc et audierunt quorum nomina subscripta sunt testes : Willelmus de Cella, Rainardus Adventii, Rogerius marescallus, Robertus, Harduinus Gastel, Hilduinus Bunnum, Gaufridus, Herbertus, Gaufridus Joolina, Robertus cocus, Harduinus, famulus Co-

nani; Willelmus cocus, Blanchardus, Radulfus, Gaufridus Archil, ... Haimericus portarius, Gervasius, Ernaldus cocus cum uxore sua Anastasia, sorore prefati Hermanni, que et ipsa donum hoc concessit. Guido quoque, frater ipsius, et alia soror ejus Florentia donum hoc presentes concesserunt. »

CLXX.

De calumpnia Radulfi de Humbleriis super vineis Odonis Belerru a nobis depulsa.

« ..... Necessarium duximus nos, sancti Petri Carnotensis cenobii videlicet monachi, cunctis christiane professionis innotescere, qualiter ea terminata sit calumpnia, quam de vineis Odonis Belerrut Radulfus de Humbleriis et ejus filii Urso et Johannes et filia Agnes erga nos injuste fecerant. Statuto itaque die, nobis et ipsis in placito sedentibus in curia Ricardi Muscosi, majoris episcopi, in cujus censiva prefate sunt vinee, auditis etiam utriusque partis rationibus, de querela eorum simul et nostra responsione judicium a legalibus et sapientibus personis factum est. Decretum est simul et definitum ibi, eos et eorum heredes in predictis vineis nichil ulterius posse clamare; quod audientes nec contradixerunt nec falsare potuerunt. Hec audierunt et viderunt quorum nomina subscripta sunt : Gaufridus de Grandi Ponte, Bodardus de Isleris, Ivo de Porta Morardi, Guillelmus de Cella; Ernaldus, filius ejus; Berengerius textor, Guillelmus Trufla, Gausbertus de Pruneto, Belotus, Floherius, Ricardus; Guillelmus, famulus Ivonis; Budinus, Robertus Hericiatus; Henricus, filius Ivonis; Herbertus, filius Martini; Ricardus, Burgundius, laici; monachi vero Theobaldus prior, Rainardus, Stephanus capicerius et alter Stephanus et Johannes. »

CLXXI.

De duobus solidis census a quadam femina, nomine Leburgis, nobis datis, assensu filii sui et filiarum suarum, de domibus que sunt juxta furnum episcopi.

« Noverint omnes qui scriptum hoc legerint, quod quedam matrona, nomine Leburgis, in capitulum nostrum veniens, consilio et assensu filii sui Garini, et filiarum suarum Richeldis et Odeline, pro salute et remedio anime sue et viri sui jam defuncti, Ansoldi Forrebois nomine, duos solidos census de domibus que sunt juxta furnum episcopi nobis donavit. Donum ejusdem rei super altare beati Petri posuit, his videntibus et audientibus quorum nomina subscripta sunt : Garino marescallo, Guillelmo carpentario, Girardo lavendario, Nicholao clerico, Guillelmo scutellario, Ascione, Osberto carpentario, Alveredo, Stephano Marescot, Hildesendi. »

CLXXII.

De rebus ab Ivone de Porta Morardi nobis datis et de V solidis census.

« Omnibus quibus opportuerit litteris istis fieri notum volumus, nos 1130-1150.
sancti Petri Carnotensis cenobii monachi, quod, eo tempore quo domnus Udo abbas huic nostro presidebat monasterio, Ivo de Porta Morardi ad nos ad monachatum veniens, consilio et assensu uxoris sue Eufemie filiique sui Henrici et filiarum suarum Gile, Hersendis et Ameline, V solidos census et unum denarium in elemosinam nobis donavit, de quibus Gaufridus de Grandi Ponte debet III solidos et tres denarios; reliquos vero, XXII scilicet, debet Agnes, uxor Theobaldi Claronis. Sciendum tamen est, quia jam dicta Agnes, quandiu vixerit, censum illum non reddiderit, sed post mortem ejus, sicut ipsa in presenti donatione concessit, ad nos revertetur. Teloneum quoque et quadrigarum et aliarum rerum, que in terra sua vendebantur et emebantur, quod eatenus ipse Ivo violenter et injuste supra nos invaserat

et retinuerat, culpam et injusticiam suam recognoscendo et accusando, ecclesie nostre quiete et libere possidendum dimisit. Dimisit etiam nobis XVII denarios et obolum census, quos ei annuatim persolvebamus de terrula quadam, ante domum leprosorum de Bello Loco sita. Que omnia postmodum concesserunt in capitulo nostro, dederunt et confirmaverunt prefata ejus uxor Eufemia, filius quoque ejus Henricus, et filie Gila, Hersendis et Amelina. Hoc viderunt et audierunt quorum nomina subscripta sunt : Radulfus aurifaber, Gualterius sellarius; Guillelmus, gener Floherii; Guillelmus et Osbertus, carpentarii; Petrus hospitalarius, Floherius, Teobaldus Petri, Ansoldus Claronis, Berengerius, Hilduinus, Mascelinus cocus, Budinus, Arquillandus, Herbertus Coirvel, Teodericus de Cavennis, Agnes Claronis, Solina, Amelina, Isabel filia; Guillelmus, predicti Ivonis famulus; Rogerius, Rainfredi famulus, et alii multi.

CLXXIII.

De calumpnia Goslini, filii Goslini de Leugis, ante episcopum Gaufridum super terra de Campo Fauno nobis quiete ac libere dimissa.

1130-1149. « Presentibus et sequentibus representemus presente scripto, qualiter Goslinus, filius Goslini de Leugis, quietas clamavit omnes calumpnias quas faciebat nobis de rebus, de terris, de hominibus nostris, ubicunque eas faciebat sine ullo retinaculo. In manu siquidem Gaufridi, Carnotensis episcopi, primitus eas guerpivit, et inde rectum fecit; quod etiam rectum per virgam factum idem episcopus in capitulum nostrum, per Robertum camerarium monacum nostrum, nobis transmisit. Quod autem ibi fecit ille Gollinus, presente episcopo, fecit etiam postea coram personis et canonicis beate Marie in eorum capitulo; et quod ibi fecit, nec mora in capitulo nostro hoc idem faciens, in manu etiam domni Udonis abbatis omnes omnino illas calumpnias dimittens, rectum ei fecit. Testes qui tunc fuerant in capitulo nostro sunt hii : Gollinus de Merevilla, Menerius; Garinus de Alona, gener Willelmi Ansoldi, filius Gaufridi de Bezou; Symon canonicus;

Robertus de Grinnos, Floherius, Mascelinus cocus, Gaufridus costurarius, Bernerius, Radulfus Taboer; Stephanus, filius Marescot; Alveredus. Testes de capitulo beate Marie sunt hii : Garinus Orree, Gollinus de Merevilla, Menerius. Ex personis, Salomon decanus, Hugo subdecanus, Radulfus camerarius. Ex canonicis, Hamelinus Flael, Guillelmus Qui non bibit aquam, Paganus Paiotus, Hubertus de Curva Villa, Amalricus, Frericus. Ex famulis, Rainardus Adventii; Alcherius, filius ejus; Gualterius sellarius, Hugo Pelleve. Testes ante episcopum : Gollinus, pater ejusdem Gollini; Gollinus archidiaconus, Milo prepositus. »

CLXXIV.

Quod Garinus, filius Odonis, filii Gumbaldi, donum patris sui concessit.

« Donum sui census et quicquid dederat nobis Odo, filius Gumbaldi, noster famulus, concessit nobis in nostro capitulo, absque ullo retinaculo, Garinus, ejusdem Odonis filius. Hujus rei testes sunt isti : Garinus Pesmenée; Bernerius, Fulbertus et Robertus coqui; Odo et Stephanus, filius Budini, Alveredus, Balduinus; Garinus, filius Rainaldi. »

CLXXV.

De Berengerio, majore Campi Fauni.

« Ego frater Udo, monasterii sancti Petri Carnoti humilis abbas, 1130-1149.
et totus ejusdem congregationis conventus, nosse volumus omnes qui scriptum hoc legerint vel audierint fideles, quod Berengerius, filius Godescalli, recognovit in capitulo nostro, et super sanctas reliquias ibidem juravit, quia in majoratu ville nostre de Campo Fauni nichil hereditarium clamaret, nichil feodaliter aut ex patrimonio reposcere deberet vel habere. Cui nos ejusdem majoratus officium tantummodo ad vitam suam commendavimus; eo tenore, ut nichil hereditatis, nichil patrimonii vel ipse vel posterorum suorum aliquis possit unquam in eodem officio feodaliter clamare. Cui etiam concessimus, ut de eodem

majoratu eos tantum redditus habeat, quos pater ipsius legitime nosci tur habuisse. Audierunt hoc et viderunt quorum nomina subter sunt annotata, tam testes actionis quam peccunie ab eodem Berengerio, pro obtinendo eodem officio, nobis donante fidejussores : Harpinus, testis et plegius de XL solidis; Paganus Amalguin, similiter; Odo, filius Oelardi, similiter; Garinus Songerath, similiter. Testes autem : Hubertus Rufus; Stephanus, cognatus Berengerii; Gaufridus prelatus, Floherius, Rogerius Marescot, Petrus hospitalarius, Gaufridus fossarius; Stephanus, filius Rogerii Marescot; Arnulfus sacristes. »

CLXXVI.

De Rogerio Marescoth.

Anno 1146. « Sciant omnes qui presens scriptum legerint fideles, quod ego frater Udo, Dei gratia, cenobii sancti Petri Carnoti abbas, et totus cui presideo fratrum conventus, unam terre bovatam, quam Rogerius Marescoth de nobis in Belsia tenet quoad vixerit, vel Stephanus filius ejus primogenitus, ab omni consuetudine liberam, preter decimam quam in eadem terra retinuimus, habendam concessimus; ipse autem et idem filius ejus Stephanus, in justicia abbatis et totius capituli tantummodo remanebit. Sexdecim quoque denarios census, quos nobis de duobus terre agripennis annuatim reddebat, ei in suam et predicti filii sui vitam dimisimus. Concessimus etiam, ut terram illam, quam Gunterius monachus noster donavit ecclesie nostre, in sua et sepe jam dicti filii sui vita excolat; ita tamen ut omnium rusticanarum consuetudinum, quas ruricole alii de terris suis reddunt, tantum quantum ad terram illam pertinet, absque diminutione vel relaxatione aliqua, reddat. Et quoniam nos hoc Rogerio concessimus, ipse, Stephano filio suo concedente, cellerariam nostram, quam a nobis emerat et quam tunc tenebat, nobis in capitulo nostro dimisit, et quietam omnino clamavit. Rogerius autem, si longius quam Stephanus suus vixerit, omnia que ei sicut hic descripta sunt concessimus, in vita sua quiete tenebit et habebit. Similiter et puer, si, patre defuncto, superstes fue-

rit, eadem sine contradictione aliqua quoad vixerit possidebit. Post mortem autem illius qui ex duobus ipsis, patre scilicet et filio, longius vixerit, omnia que hic descripta sunt vel nominata, sicut, antequam hec conventio fieret, habuit ecclesia nostra, quieta protinus absque dilatione et sine calumpnia rehabebit, et quicquid in hac conventione Rogerio et filio ejus quoad vixerint habendum concessimus et possidendum, revertetur ad dominium nostrum. Factum et confirmatum est in capitulo nostro, anno ab incarnatione Domini MCXLVI°, regnante in Galliis Ludovico, rege piissimo; Gaufrido de Leugis, Carnotine civitatis existente episcopo. Presentes autem fuerunt viri quorum nomina subscripta sunt : Johannes dapifer, canonicus sancte Marie; Berengerius, major Campi Fauni; Osbertus pelliparius; Rainardus, Aventii filius; Renerius viator, Belinus Rufus, Floherius, Hugo Pelleve, Rogerius sartor, Hilduinus Marescot, Laurentius tanator, Ansoldus Emparchepen, Mascelinus cocus, Arnulfus sacrista, Garinus Pesmesneiam, Teobaldus de Hospicio, Girardus de Hospicio; Odo, filius Budini; Chochinnus pelliparius, Radulfus Taboerius, Hunaldus, Balduinus, Gaufridus. »

CLXXVII.

De anniversario abbatis Udonis.

« In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus 1130-1150.
Sancti. Ego frater Udo, abbas humilis monasterii sancti Petri Carnoti, et omnes quibus, auctore Deo, presideo fratres, tam futuris quam presentibus, scripto presenti notum fieri volumus, quod communi assensu et benivolentia omnium, in capitulo nostro statutum sit et confirmatum, quatinus, postquam vite presentis consummavero cursum, nostrum per annos singulos sollempniter celebretur anniversarium. Statutum etiam in eodem capitulo est et confirmatum, ut semper in die anniversarii nostri splendida refectio paretur fratribus de XXV solidis census quos de quadam vinea, quam ego ecclesie nostre[1] annuatim habemus. Est autem vinea ista apud locum qui Barbou

[1] Fort. suppl. *dedi.*

vocatur sita; est etiam de patrimonio nostro : Guillelmi enim avunculi nostri fuit, qui, per consilium nostrum, apud[1] ad monachatum venit. Si autem hujus vinee census aliquo modo creverit, quantumcunque magnus fuerit, totus semper ad anniversarium nostrum faciendum servabitur, nec quicquam de eo unquam, nisi in anniversario nostro, expendetur. Si vero occasione aliqua contigerit, ut census predictus de vinea ista haberi non possit, XIIII solidi census quos, in Carnotensi foro, de elemosina Haimerici, fratris nostri carnalis, annuatim habemus, et X solidi quos similiter habendos singulis annis Mabilia, mater Guidonis monachi nostri, in portu quem apud Confluentium habet donavit nobis, sumentur, et in die anniversarii nostri ex eis fratribus refectio queretur. Et si, quod nunquam fieri posse credimus, evenerit, ut nec de predicte vinee censu, nec de illo quem in foro habemus censu, nec de solidis X quos habemus in portu, refectio fratribus parari possit, de elemosina quam apud Aurelianis in furnis, vineis et molendinis, providentie nostre et consilio et auxilio, ecclesia nostra amissam recuperavit, cellerario coquine XXV solidi tribuentur, unde fratres abundanter et splendide reficiantur. Actoritate Dei omnipotentis Patris et Filii et Spiritus Sancti, et gloriose Dei genitricis Marie, et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et sanctissimi magistri nostri Benedicti, omniumque sanctorum et nostra actoritate, hoc in capitulo nostro confirmatum et in perpetuum servandum decrevimus et instituimus, omnibus idem volentibus et confirmantibus. Si quis autem unquam hanc institutionem nostram violare temptaverit, Deo et sanctis ejus et nobis omnibus inobediens erit, et sciat in tremendi judicii die se pro inobedientia sua esse dampnandum, nisi inobedientiam per penitentiam et congruam satisfactionem correxerit. »

[1] Supplend. *nos*.

CLXXVIII.

De redditu armario assignato.

« Justum et honestum est, ut omnes sancte ecclesie filii semper invigilent honori et utilitati. Hac de causa, ego frater Udo, Dei gratia, cenobii sancti Petri Carnoti abbas, ecclesie nostre armarium, usque ad meum tempus pauperrimum, absque diminutione, ut arbitror, alicujus rei augmentare curavi. Hoc autem fieri pernecessarium erat; paupertatis enim extreme que armarium deprimebat testes erant manifestissimi corrosi tineis et pene deleti vetustate libelli, sparsim per armarium huc illucque projecti, qui a fratre qui armario preerat, pre paupertate nimia, non poterant renovari nec etiam, quod minus est, religari; et satis erat inhonestum et indecorum, ut nostrum monasterium, quod magne est nobilitatis, haberet armarium tante paupertatis. Ut igitur inhonestas honestate et dedecus pelleretur decore, totius capituli nostri benivolentia et assensu communi, redditum determinatum armario assignavi; redditum videlicet talem, qualem frater qui armarium tenuerit singulis annis habeat, et unde libros renovare vetustos, vel vetustis superaddere novos valeat. Hunc autem redditum reddent ei annuatim, in festivitate omnium sanctorum, administratores obedientiarum nostrarum; et, ne aliquis nimis hoc facto gravetur, parvissimum quid unicuique impositum est, ut scripto presenti monstratur. Abbas enim reddet semper per singulos annos X tantummodo solidos; camerarius, II solidos; elemosinarius, II solidos; prepositus de burgo, II solidos; ille qui monachos vestit, II solidos; celerarius coquine, II solidos; prior Leonis Curie, II solidos; prepositus de Gisiaco, V solidos; sacristes de Gisiaco, II solidos; prepositus de Bruerolis, V solidos; prepositus Braiolo, V solidos; monachus de Juri, XII denarios; monachus de Nantilliaco, II solidos; monachus de Sorello, XII denarios; monachus de Sancto Georgio, II solidos; monachus de Treonio, II solidos; monachus de Sancto Germano, II solidos; monachus de Mittenvillari, XII denarios; monachus de

Anno 1145.

Calgcio, II solidos; monachus de Constantino, II solidos; monachus de Planchis, III solidos; monachus de Armentariis, II solidos; monachus de Rivillonio, XII denarios; monachus de Senonchis, II solidos; monachus de sancto Leobino Carnotensi, II solidos; monachus de sancto Leobino de Castro Duni, XII denarios; monachus de Pedaneo, II solidos; monachus de Alogia, XII denarios; monachus de Reconis Villari, XII denarios; monachus de Spelterolis, XII denarios; monachus de Puteosa, XII denarios; monachus de Groslu, XII denarios; monachus de Canzeiaco, XII denarios; monachus de Niglebolt, XII denarios; monachus de Abonis Villa, XII denarios; monachus de Ymonis Villa, XII denarios; monachus de Emprenvilla, XII denarios; monachus de Germenonis Villa, XII denarios; monachus de Boesvilla, II solidos; monachus de Tornesiaco, XII denarios; monachus de Sancto Paterno, III solidos; monachus de Capella Osane, XII denarios; monachus de Verno, XII denarios [1]. Hoc omnes, tam obedientiarii quam claustrales, unanimiter concesserunt et tenendum in perpetuum decreverunt. Hoc quoque actoritate omnipotentis Dei et sanctorum apostolorum Petri et Pauli et nostra, tam ego quam totus conventus, confirmavimus. Si quis hanc institutionem reprehendere vel violare ausus fuerit, quod parum decorem domus Dei diligat evidenter monstrabit; quod gravius est, Deo et sanctis ejus et nobis omnibus inobediens erit, et sciat in tremendi judicii die se esse dampnandum, nisi inobedientiam suam per penitentiam et congruam satisfactionem correxerit. Factum et confirmatum est hoc in capitulo nostro, anno ab incarnatione Domini MCXLV°. »

CLXXIX.

De censu quem dedit nobis Gualterius, Theobaldi filius.

1151-1171. « Notum sit omnibus presentis scripture seriem legentibus, quod, presente domno Fulcherio abbate, quidam miles, cognatus ejus propinquus, Gualterius nomine, Teobaldi filius, ad monachatum veniens,

[1] Summa reditus armarii S. Petri 86 sol.

nobis XX solidos census dedit; qui census in Colenaria est situs. Debitores autem predicti census sunt : Landricus de Archa, qui debet II solidos et VI denarios; Odo Tortus, V solidos; Odo presbiter, III solidos; Johannes de Colenaria, V solidos et III denarios et obolum; Stephanus, frater ejus, II solidos et VI denarios; Ersant de Joi, XX denarios et obolum. »

CLXXX.

De dono Guillermi de Poonceio.

« Notum sit omnibus hoc scriptum legentibus, quod Guillelmus de Poonce, ad nos ad monachatum veniens, nobis III solidos et VII denarios census, quos ipsi debebamus, fratribus suis concedentibus, reliquit. Quorum fratrum, Ivo, major natu, veniens in capitulum nostrum, nobis censum super altare dimisit. Presentibus istis et testibus quorum nomina subscripta sunt : Guillelmo de Nuille, Julduino pellipario, Balduino, et aliis pluribus. »

CLXXXI.

De vicaria Imunville, quam Guillelmus de Bena nobis remisit.

« Notum sit cunctis audientibus, quoniam Guillelmus de Bena, infir- 1151-1171.
mitate correctus, mandavit domnum Fulcherium abbatem, et vicariam suam et omnem justiciam quam habebat in terra et in hominibus nostris apud Ymunvillam, in presentia sua, ecclesie nostre in perpetuum reliquit, fratre suo Galterio majore natu, et Willelmo Aculeo avunculo suo, et pluribus tam parentibus quam notis astantibus et hoc idem concedentibus et in verba sua confirmantibus. Testes sunt : Radulfus Bajulus, Radulfus niger, Godefridus, Hubertus. »

CLXXXII.

De manumissione Andree et uxoris ejus et filiorum ejus.

« Noverint universi, quoniam hac conditione Andream et uxorem ejus et filios manumisimus, ut clausariam nostram, que dicitur Engelardi, quam ut commendatam habebat in vita sua, nobis remitteret. Non sano etenim usus consilio, illam sibi hereditariam defendere conatus, multas injecit calumpnias. Cujus injuriis excitati, maluimus illum a jugo servitutis nostre liberum exire, quam improbitatem ejus et calumpnias perversas diutius sustinere. Veniens itaque in capitulum nostrum, cum uxore sua et filiis et amicis et vicinis suis, coram universis, clausariam nostram cui preerat omnino nobis in perpetuum hac conditione dimisit, ut eum cum uxore prefata et filiis manumitteremus. Insuper etiam, coram omnibus, jusjurando confirmavit, ut neque ipse neque heredes sui in posterum aliquid super hujuscemodi calumpnie excitarent; quod idem etiam ipsi infantes, cum ad etatem pervenissent, pro submonitione nostra idem essent juraturi : si vero super hoc aliquid calumpniari voluissent, iterum in pristinam servitutem redirent. »

CLXXXIII.

De domo Britelli, fratris Fulcherii abbatis, quam nobis dedit post ejus decessum.

1151-1171. « Notum sit omnibus, quoniam Teobaldus de Sancto Carauno, matricularius sancte Marie, cum sine herede remaneret, assensu uxoris sue, domum suam, in Bello Videre sitam, in elemosinam nobis contulerat, temporibus Udonis abbatis. Contigit autem ut Britellus, cognatus ejus, frater autem Fulcherii abbatis, capitulum nostrum expeteret, ut predicta domus sibi venderetur. Quod factum est sub tali conditione, ut, post ejus decessum uxorisque sue Guiburgis, libere ad manum nostram rediret. Qui etiam Britellus, in morte sua, cum in domo nostra finiret vitam, IIII^{or} solidos census in elemosinam pro sua anima in perpetuum donavit. »

CLXXXIV.

De decima de Carmeia ab Alberto presbitero remissa.

« Noverint universi, quoniam Albertus, presbiter de Vitraio, venit in capitulum nostrum, et, presente Fulcherio abbate et omni conventu nostro, reliquit nobis quandam decimam de Carmeia, quam injuste reclamasse et injuste tenuisse recognovit, coram testibus quorum nomina hec sunt : testis Guillelmus, capellanus noster; Robertus, presbiter de Fenis; Hogerius de Cruciaco; Bernardus, presbiter de Feissumvillari; Adelermo, tunc priore apud Bruerolas. » 1151-1172.

CLXXXV.

De censu apud Sanctum Caraunum a Guillelmo, filio Ansoldi, nepotis Fulcherii abbatis, ecclesie nostre dato, et a capitulo, ad anniversarium ejusdem Fulcherii faciendum, concesso.

« Noverint universi, quoniam Guillelmus, filius Ansoldi, XXX solidos census, precedente dono patris sui qui in itinere Sancti Jacobi defunctus extitit, ecclesie nostre in elemosinam concessit, assistente Fulcherio abbate avunculo suo, omnique capitulo nostro. Qui census apud Sanctum Caraunum constitutus est; et a personis subnotatis et eorum heredibus et successoribus nobis persolvendus. Guillelmus verum, XV denarios; Raimboldus et Martinus fratres, XII denarios; Ansoldus, filius Hunaldi, II solidos et III denarios; Berta de Turre, XII denarios; Lambertus, nepos Osmundi, II solidos; Robertus de Sancto Carauno, XII denarios; Heimericus et Robinus, XII denarios; Herbertus Lisiardus, II solidos et dimidium; Guillelmus Anglicus, III solidos; Robertus super portam Guillelmi, IIII solidos; Stephanus molendinarius, XII denarios; Balduinus, filius Geroldi, II solidos; Radulfus, filius Havis, IIII solidos; Haimericus tunelarius, XII denarios; Balduinus, filius Alcherii, III solidos. Nec solum censum horum homi- 1151-1171.

num sed et justiciam, qualem ipse Guillelmus habuerat, et venditiones et gantos nobis contulit. Qui nummi a capitulo nostro constituti sunt et annuatim deputati ad anniversarium domni Fulcherii abbatis festive celebrandum. Testes : Odo de Braiolo; Martinus, major de Sancto Carauno; Robertus cocus, Hubertus famulus, Balduinus pelliparius, Godefridus famulus, et plures alii.

LIBER SECUNDUS.

DE SANCTO LEOBINO CASTRI DUNI, DE ALOGIA, DE SANCTO LEOBINO DE CARTIS, DE TOTA BELSIA USQUE AURELIANIS, ET DE OMNIBUS VEL OBEDIENTIIS VEL POSSESSIONIBUS, JUXTA VEL INFRA PRENOMINATA LOCA, SECUNDUM CONGRUENTIAM VICINIARUM, SITIS.

I.

De terra et vineis apud Castri Dunum, traditis ad censum sub manufirma Helgodo et Hugoni fratribus.

« In Christi nomine. Drogoni, qui beneficium ex rebus sancte Marie Dunensi, per largitionem Hugoni vicecomiti, seniori meo, tenere videor[1]. Notum sit omnibus fidelibus sancte Dei ecclesie curam gerentibus, tam presentibus quam et futuris, quia postulaverunt quidam homines, his nominibus vocitati, Helgaudus et frater suus Hugo, et unus heres qualemcunque elegerent, ut eis terram censualiter ad manufirmam concederemus; quod ita et feci. Est autem ipsa terra in comitatu Dunensi, in vicaria Arnulfi, in Premodis villa. Terminatur ipsa terra ex tribus partibus viis publicis, et quarta, terra Arnulfi. Sunt autem quatuor aripenni vinee cum casuale. Et de ipsa terra arabili, quinque concedo ea ratione ut annuatim, in festivitate sancte Marie, que celebratur mense septembrio, solvant in censum duos solidos; et, si de ipso censu tardi aut negligentes extiterint, legem inde faciant, et predictam rem non perdant, et amplius eis non requiratur nisi quod superius est insertum. Dedi eis licentiam dandi, venundandi, faciendi quicquid voluerint; ea ratione ut census ad seniorem perveniat. Hec cartula, ut firmior sit, eam subterfirmavi et aliorum bonorum hominum roborandam obtuli. Actum Dunis Castro. S. Theobaldi comitis. Oct. 1003.

[1] Sic legitur in cod.

S. Hugonis vicecomitis. S. Ascelini. S. Huberti. S. Bernardi. S. Odonis. S. Alberti, cujus beneficium est. Data mense octobris, regnante Roberto rege VIII° anno. »

II.

De mansione ante sanctum Valerianum de Castri Duno, et de tribus arpennis vinearum cum torculari, datis a Herberto, presbitero sancte Marie de Castri Duno atque canonico.

1007-1029. « In nomine Domini. Ego Herbertus, sacerdos et canonicus sancte Marie Dunensis Castri, notum esse volo meis contemporalibus atque posteris, qualiter sancto Petro Carnotensis cenobii dono unam mansionem ante sanctum Valerianum Castri Dunis, et tres arpennos vinearum cum torculari, in loco qui dicitur Campus Follis; eo tenore ut, quandiu vixero, teneam de illis, unum modium vini solvendo de recognitione; post meum decessum, nepos meus Hermenteus juvenis, presbiter, teneat eas similiter in vita sua, tres modios vini solvendo de recognitione; ea tamen ratione, ut, si eas male tractaverit, monachi sancti Petri recipiant illas. Istam donationem facio pro anima mea et Hermentei abbatis, fratris mei, et parentum nostrorum. Et istam rationem proposui Carnotis ante meum episcopum; et rogavi illum, ut ex sua actoritate excommunicaret illum qui calumpniaret aut perturbaret istam elemosinam; et ille fecit.

« Ego Fulbertus, gratia Dei Carnotensis episcopus, ex auctoritate Dei patris omnipotentis et Filii et Spiritus Sancti, excommunico et anathematizo illos qui elemosinam suprascriptam calumpniare presumpserint, donec emendent.

« Ego Herbertus presbiter, qui istam elemosinam, Dei gratia, feci, jussu episcopi mei Fulberti, excommunico et anathematizo illos qui elemosinam suprascriptam calumniare presumpserint, donec emendent. Et in eadem excommunicatione sit sive abbas sive monachus qui ulla ratione de loco sancti Petri abstulerit illam.

« Ego Gaufredus vicecomes, dono sancto Petro ea que ad me pertinent, sive censum seu consuetudines. S. Fulberti episcopi. S. Gauzfredi

vicecomitis, qui hanc cartulam manu propria firmavit. S. Hervei archidiaconi. S. Ebrardi gramatici. S. Hugonis, filii ipsius vicecomitis. S. Helvidis, uxoris ejus. S. Raherii. »

III.

Quod Hylarius de Castro Duno oblatum sibi placitandi, de terra quam ab ecclesia nostra tenet, diem recusavit.

« Inter nos et Hylarium de Castro Duni erat aliquando quedam contentio, de consuetudine quadam cujusdam terre quam tenebat a nobis; quam scilicet consuetudinem injuste nobis tollere volebat. Ad quam causam, die condicto, ante episcopum [1] et Gauslinum archidiaconum cum venissemus disserendam, in discussione ipsius consuetudinis Hylarius intulit, quod terram, de cujus consuetudine placitabatur, a domno abbate et universo capitulo nostro, datis IIII^or^ libris denariorum, perpetuo sibi heredibusque suis accepisset possidendam. Quod quidam ex nostris, qui ibi aderant, domnus scilicet Rainaldus monetarius et domnus Hubertus cellerarius et domnus Connanus capicerius, non, sicut dicebat, terram sibi heredibusque suis perpetuo possidendam a nostro eum capitulo accepisse responderunt, sed solummodo sibi unique, cuicunque vellet, post se heredi; sicque eam nostro, sicut prius, dominio absque ullo impedimento cessuram. Quod illo, sicut dictum est, negante, predicti monachi nostri continuo obtulerunt ei, domnum abbatem totumque capitulum nostrum, constituto oportuno die, sive coram episcopo sive ubicunque justum esset, super hoc quod calumpniabatur justitiam in omnibus executuros. At ille oblatum placitandi diem recipere noluit. Hoc audierunt ex parte nostra, ipse episcopus et Gauterius atque Gauslinus archidiaconi; et Hugo de Leugis et Willelmus Moignart et Gaufridus, filius Aventii, et Constantius de Sancto Georgio. Ex parte vero Hylarii, Garinus et Girbertus picerius, generi ipsius Hylarii, et Hildricus. » 1116-1149

[1] I. e. Gaufridum de Leugis, ut constat ex testium subscriptionibus.

IV.

De terra de Telliaco ab Ingelgerio de Merravilla et Odone Arachepel ecclesie nostre data, et de consuetudinibus inter nos et predictos datores confirmatis.

« Testimonio presentis scripti fiat notum et indubitabile cunctis fidelibus, quod Ingelgerius de Merervilla et Odo, cognomine Evellens Palum, et Adelaïs, mater ejus, annuentibus utriusque conjugibus et filiis, pro redemptione animarum suarum, dederunt sancto Petro, in Telliaco, locum antique hospitationis cum XV[cim] agripennis terre, qui per singulos sunt dimidiandi triginta ibidem hospitantibus; addita his terra duorum boum a monacho ibidem demorante excolenda, in qua parte ipse elegerit; domum quoque suam quo voluerit construet; deinceps quidam famulus Ingelgerii habebit domum qua voluerit, de qua annuatim IIII[or] denarios census persolvet. Predicti autem terre agripenni erunt in dispositione monachi, quatinus, quam festinantius poterit, hospitantium collocatione faciat occupari. Nemus autem quod est inter villam et fossatum nostrum est absque ulla exactione. Illud autem quod ultra fossatum est dimidium nostrum est. Conventio tamen est inter nos et eos, ut nec vendatur nec incidatur, sed ad munitionem hospitum ibidem habitantium integrum conservetur. Hospites autem qui ibidem habitabunt omnino liberi erunt; qui scilicet hospites ita terras militum ab eis excolendas habebunt, ut, quandiu eas excolere voluerint vel potuerint, neque milites aliis eas excolendas tradere, neque hospites, quandiu militum terre inculte remanebunt, ab aliis alias accipere possint. Insuper si quid hospites forisfecerint, milites eos per nullum aliquid quod sub eis habeant justiciabunt, sed clamorem ad monachum deferent et curie ipsius monachi; nec alias tamen quam in predicta Telliaci villa judicio acquiescent. Quod videlicet judicium, si prima non potuerit, secunda vel tercia vice fieri oportebit. Et districtio quidem monachi; lex autem, si exierit, militum erit. Sacramentum si fieri contigerit, sola manu ab hospite fiet. Illud autem sciendum est, quia, si predic-

tum judicium vel tercio concordari non posset, nequaquam ulterius milites, de hospite, monachi justitiam expectarent; sed per quod sub eis haberet[1] eum sibi justiciarent. Testes fuerunt hii : Salomon major; Radulfus, filius Hildegarii; Dodo pelliterius, Ingelbertus major, Belinus pelliterius, Richardus portarius, Anquitillus, Gualterius Galbrannus, Odo major, Raïnaldus cultillerius, Fulbertus, Paganus Ansoldi. Testes autem qui cum Teobaldo de Duniello, de cujus fevo terra ista movet, fuerunt hii : Rainardus de Aurelianis et filius ejus, qui hoc donum concesserunt; et Ingelgerius de Merravilla, Odo Evellens Palum; Rainaldus, decanus de Braiolo; Guillelmus, clericus de Moncellis; Anchitinus miles. Postea concessit hoc donum uxor Theobaldi, jacens in infirmitate, et duo filii ejus, Bernardus et Odo. Testes hujus rei fuerunt : Rainaldus decanus, Gualterius Morus, Paganus de Nemore, Gauterius Poerius, Galterius Hunellus, Odo Brisaldus, Paganus de Plesentiis, Christoforus, Galterius de Merravilla, Crispinus, Frotlandus, Radulfus et Odo. Isti sunt testes qui, cum Ingelgerio et Odone Evellente Palum, in capitulo nostro affuerunt, quando uxor ejusdem Odonis et filius ejus hoc donum concesserunt : ex nostra, Barbo, Hubertus Balduini, Rainardus Aventii, Guillelmus carpentarius, Odo pistor; ex parte eorum, Bernardus, Arnulfus, Bodardus. »

V.

De quinque arpennis tam terre quam prati a Mahilde de Alogia datis.

« .... Domna ergo Mahildis, pro redemptione anime sue et animarum seniorum suorum Willelmi atque Gaufridi, ac parentum sobolumque suorum, Willelmi scilicet atque Gauterii, sancto Germano dedit duos aripennos terre, non longe ab ecclesia ipsius, unumque aripennum prati; trans flumen quoque quod Ledum vocatur, alios duos agripennos contulit, et hoc totum qui dicitur Alogia. Dedit et alia dona que alias sunt notata[2]. De prefatis vero rebus donum ipsa Ante a. 1070.

[1] Sic.

[2] Vid. superius, part. I, lib. VII, c. LXVII et LXVIII, p. 193-194.

posuit super altare sancti Germani, presentibus his quorum nomina subscripta sunt : Algrino, Adelelmo et Natali sacerdotibus; Guidone, Garini filio; Roberto, filio Lamberti. Prebuit assensum de his rebus filius ejus Guillelmus, presentibus his subscriptis : Galterio, fratre Hugonis; Airardo de Busto Loco, Gauterio de Munheri Villa, Hamelino Livarico, Briceo de Castello Leti, Gaufrido Hugonis de Barzilleriis, Bernardo de Villa Abonis. »

VI.

De area hominibus de Alogia ad domum fraternitatis sue faciendam a nobis prestita.

« Ne autem oblivione depereat aut incertitudine in aliquo depravetur, scripti hujus noticia certum et indubitabile teneatur, nos tali pacto ac conditione hominibus de Alogia concessisse plateam, ad domum fraternitatis sue construendam, ut, si quando casu aliquo contigerit predicte ville homines fraternitatis inter societatem non habere, ac per hoc jam dictam domum fraternitatis non esse, et platea et in ea domus edificata, absque ullo calumpnie vel contradictionis obstaculo, ad nos revertatur. »

VII.

De quadam decima in parrochia sancti Germani de Alogia Hugoni subdecano ad vitam suam a nobis concessa.

« Ne cujusquam vel ignorantia nescii vel malicia perversi simplicitatis nostre intentione possit abuti, nos sancti Petri Carnoti videlicet monachi, omnibus quibus oportuerit presentis testimonio cyrographi notum fieri volumus, domno Hugoni subdecano quandam beate Marie vastam terram, in parrochia sancti Germani de Alogia sitam, edificare volenti, nos terre ejusdem decimam, in vita sua tantum, communi consensu concessisse; ita tamen, ut ex quo decima de terra illa exierit, unum nobis annone sextarium annuatim pro recognitione reddat. Testes : ex nostra parte, Fulbertus presbiter, Gauterius de

Sorel cum domno Hugone; Fredericus, clericus ejus, et Hugo, canonicus sancti Martini. »

VIII.

De tercia parte et decima molendinorum de Alogia cum medietate piscium a Girardo Arte Malo nobis data; simulque de consuetudinibus inter nos et eumdem datorem firmatis.

« Controversia quedam que emerserat inter nos, sancti Petri Carnoti videlicet monachos, et Girardum Arte Malum, filiosque suos Hubertum, Arnulfum atque Gauterium, de molendinis ecclesie nostre ab ipsis datis, in presentia domni Gauterii archidiaconi taliter determinata est. Manente itaque primo dono, quod idem Girardus, eorumdem filiorum suorum consensu, dederat nobis terciam partem molendinorum suorum et decimam et medietatem piscium, de molendinario hoc determinatum est : quod cum feodo suo, hoc est farina sua, et ad mittendum et ad eiciendum, sine ipsis datoribus nostris, absolute nostrum erit; excepto hoc quod, si molendinarius eis forisfecerit, faciet eis inde justiciam in curia monachi de Alogia, vel monachus pro eo, si molendinarius vel noluerit vel non potuerit emendare forisfactum. Hoc quoque definitum est, quod, si ipsi comparticipes nostri dederint molturam de sua annona, et nos dabimus de nostra; ita ut quod quisque molere voluerit, vidente uno aliquo alterius partis famulo, prius molendini mensura in molendino mensuretur; si autem ipsi non dederint molturam de sua annona, nec nos dabimus de nostra. Sed et hoc distinctum est, ut in archa molturaria, sicut ipsi suam, sic et nos nostram clavem habeamus, utque in hebdomada bis vel ter, si oportuerit, ad molturam videndam partiendamque conveniatur; et hoc tunc fiat, cum vel nos ab ipsis, vel ipsi super hoc submoniti fuerint a nobis. His ita in presentia domni Galterii archidiaconi determinatis, et, in capitulo nostro, a Girardo filiisque suis concessis confirmatisque, cetere omnes conventiones, sicut primitus inter nos et ipsos facte fuerant, subter annotate sunt. Molendina ergo, quando opus fuerit, nos monachi reficiemus de nostro; ita tamen

ut supra nominati datores et comparticipes nostri materiem querant et de bosco adducant; nos tamen et in bosco eam parari et in opus molendini mitti faciemus, et cetera que molendinis sunt necessaria queremus. Duas partes domus et scluse molendini ipsi facient et nos terciam. Cimbam nos faciemus de nostro, ita tamen ut ipsi querant boscum et adducant. Instrumenta ad capiendos pisces querere nostrum erit. Si pro nostro forisfacto, quod vel nolimus vel non possimus emendare, destructa fuerint molendina, nos de nostro reficiemus ea; eodem modo comparticipes nostri, si pro eorum forisfacto destructa fuerint, quod vel nolint emendare vel non possint, de suo ea reficient; si alio modo destructa fuerint, communiter ea reficiemus eo modo quo predictum est. Si quando tamen ipsi submonuerint nos ut deficiamus molendina, propter aliquam guerram de qua timeant; si nos noluerimus ea deficere et postmodum per illam guerram ea destrui contigerit, nos de nostro ea reficiemus. Si quid autem reficiendum in molendinis aliquando fuerit, et vel ipsi nos, de his que in refectura molendini pertinent ad nos, submonuerint, vel nos de pertinentibus ad se submonuerimus eos; si dampnum aliquod ex dilatione refecture evenire probatum fuerit, is cujus dilatione evenire patuerit damnum alteri restaurabit. De VI denariis census qui de sclusa annuatim Goscelino de Bosco medio redduntur, duo a nobis, IIII[or] ab ipsis reddentur. Si quando autem aliqua de aliquo horum inter partes emerserit discordia, lectis, sive apud Alogiam sive apud Bonevallem, inter se litteris, si ibi concordari potuerit, bene; si minus, in curiam christianitatis ab utraque parte veniatur. Molendinarius noster eis in curia nostra fidelitatem faciet. Testes : Zacharias archidiaconus, Hugo de Leugis, itemque Hugo, sancte Marie prepositi; Guillelmus Moignart, Erardus de Villabun, Gaufridus Boschet, Girbertus de Boesvilla, Robertus major, Robertus clausarius, Floherius, Gislebertus Laurentii Matheus cocus, Odo Leodegarii, Rainardus Aventii, Ernaudus botarius; Gaufridus, homo Landrici, et plures alii. »

IX.

De quatuor aripennis pro Ermengarde, filia Gauterii monetarii, virgine, cum uno prelo apud Manu Villare ecclesie nostre datis; simulque de pluribus aliis tam vineis quam terris a Gauterio[1], ejusdem Ermengardis fratre, nobis postmodum similiter datis.

« Hujus scripti relatione veridica succedentium fidelium muniatur memoria, quod Gauterius trapazeta et uxor ejus, nomine Adelina, proprie emptionis precio possessiones plurimas, tam in vineis quam in terris, domibus, molendinis, torcularibus acquirentes, possederunt. Postea vero, Galterio ab hac luce mortis lege evocato, uxorem ejus cum filiis et filiabus contigit superstitem remansisse. Mater igitur et filii, natas maritis tradentes, tres earum terrenis nuptiis conjugaverunt, quas partim patrimonii possessionibus et empticiis patris et matris, scilicet multo amplius his rerum copiis quas mater et filii, post decessum patris, sue industrie studio acquisierant, dotaverunt. Quartam vero celesti sponso sub velamine religionis sacraverunt. Quam Eustachio abbati sancti Petri, quatinus, ejus ductu regiminis fulta, iter religionis constanter percurreret, commendantes, sancto Petro pro ea IIII[or] agripennos vinee cum prelo, que sunt apud Manu Villare in ipsa terra sancti Petri, inviolabili donatione transtulerunt. Deinde Rainaldus, prior natu filius, monastice religionis jugo cervicem cordis supponens et corporis, ea que sibi mater ad tempus dimiserat, eadem reddidit. Facta est igitur divisio rerum concorditer inter Hugonem et alterum filium et matrem, sororiosque et sorores, filialemque eorumdem procreationem : ita videlicet, quod Hugo et mater ejus Adelina majorem possessionis partem, pro patris portione, eis dimiserunt; ea scilicet conditione, quatinus, eorum assensu, Hugo et mater de suis portionibus que sibi retinebant libere agerent quicquid vellent, pre-

Anno 1102.

[1] Instrumentum ipsum videtur flagitare *Hugone* pro *Gauterio;* hæremus tamen, quia hic Hugo non est auctor donationis.

ter tres agripennos vinee quos tres filie, post obitum Hugonis et matris, singule singulos erant habiture. Mater itaque Adelina, pro anima viri sui atque sua, hec sancto Petro libere et solide donavit : videlicet dimidium torcularis quod est apud Moncellum sancte Marie, cum medietate clausi vinearum qui est ibidem, retro predictum torcular, qui VII agripennos vinee in se continet vel amplius, et quartam partem torcularis quod est juxta portam Drocensem; adhibita quarta parte triliate vinee que ibidem extat, et dimidium terrule quam possidebant apud Tablas, cum dimietate terre de Manu Villari, excepto feodo Georgii de Frenvilla; annumerata etiam medietate terre que est apud Sanctum Launomarum, cum quadrante vinee de Luisantio; adjuncto uno agripenno vinee et dimidio in Manu Villari, cum medietate aree que est juxta domum Vitalis Bonis Manibus. Hanc autem donationem, quam Adelina fecit assensu supradicte parentele, potuisset libere agere absque eorum nutu, quia de sue emptionis acquisitione et partim de Rainaldi filii sui empticiis hec provenerant. Hec distributio et largitio facta est in presentia Ivonis episcopi, astantibus his testibus : Guillelmo Guoio; Roberto et Willelmo, filiis ejus; Ilberto, Raimbaldo, canonicis sancte Marie; Hugone de Brueria, Roberto Aculeo, Ivone de Isleriis, Marcuino; Hildegario, fratre ejus; Laufredo. Actum est hoc anno ab incarnatione Domini MCII°, indictione X, Philippo rege regnante in Francia, Ivone Carnotis episcopante. »

X.

De vineis ab Adela comitissa apud Sanctum Leobinum nobis redditis.

Anno 1104. « Testimonio presentis scripti cunctis fidelibus tam futuris quam presentibus fiat manifestum, quod egregia comitissa, nomine Adela, vineas quod injuste diu in propriis usibus retinendo usurpaverat, sancto Petro reddiderit, erubescens et ideo satisfaciens super diutina tanti reatus injuria. Multimoda quoque beneficia cenobio sancti Petri contulit et conferenda spopondit; scilicet res ecclesie sub sua tutela ab omni impetente indesinenter protegere, sui consilii et auxilii

gratiam, quotiens postularetur, alacriter ministrare. Hujus igitur pollicitationis obsequio, Guillelmus abbas humilisque fratrum conventus, prefata comitissa exigente, omni statuerunt sabbato, pro sospitate anime et corporis prenominate comitisse, dum superstes fuerit, missam unam a quodam sacerdote privatim celebrari. Denique anniversarium mariti ejus Henrici comitis [1], ejusdemque comitisse, postquam obierit, sollenniter agere. Actum est hoc et his litteris ad noticiam succedentium, in capitulo sancti Petri, anno dominice incarnationis MCIIII°, Ivone episcopante, Philippo regnante; astantibus subscriptis testibus : Willelmo Goieto; Varinus Papotus, de Castri Duno; Helisendis vicedomina, et Girardus, filius ejus; Ingelrannus de Nociaco, Gauterius Qui non bibit aquam, Roberto de Deserto, Stephanus prepositus. Ex nostra parte, Salomon major, Odo pistor; Rogerius, frater ejus; Durandus pistor, Reinerius infirmerius; Johannes, Gilduinus, coci. »

XI.

De decima in Absconsi Villa a Roberto de Galardone data pro Agnete filia sua.

« Ego Robertus de Galardone, filius Wathonis, volo ut hujus scripti veridica narratione succedens per labilitatem temporum muniatur fidelium propago, quod ego, pro filia mea, Agnete nomine, que caros amplexus, cui jam legitime conjugationis copula adherebat, pro amore celestis sponsi, spernens, superne patrie desiderio afflata, ad contemplative vite quietem dulcissimam, quatinus ibidem scintilla divini amoris jam exhausta uberius ignesceret, convolavit, et pro refrigerio anime mee et antecessorum meorum, a quibus mihi est collata, inviolabili dono, decimam quam in Absconsi Villa jure hereditario solidissime teneo, celestis regni beato Petro janitori, mente alacri, assentibus [2] conjuge mea filiisque Hugone, Roberto, Symone, Gauterio clerico, Willelmo, Ivone, attribuo. Si quis autem, *etc.* Testibus :.... filiis meis; Rainaldo, monetario; Hugone, Gauterio, fratribus ejus. »

[1] Henricus ille idem est ac Stephanus VI, comes Blesensis, de quo supra p. 295.
[2] Sic.

XII.

De terra de Lincochet a Chotardo data et ab omnibus suiatibus concessa, et a tribus burgensibus plegiata.

« Certum sit omni tempore, quod Chotardus quandam terrulam, que est apud Lincochet, agripennum scilicet unum, sancto Petro dans, omnes a quibus poterat calumpniari, uxorem videlicet suam et Hugonem filium suum, necnon et Willelmum de Coldreto, uxoris sue nepotem, secum adduxit in capitulum, huic rei satisfacturos. Igitur, donatione facta, ad confirmationem ipsius rei ipse prior, postmodum uxor, filius et nepos, dexteras dantes, sub juramento fidei se astrinxerunt, defensionem ejusdem terre, contra omnes qui infestationem pro eadem terra nobis vellent inferre, quod adjuvarent[1] consecuturos. Postea vero, ad augmentum nostre securitatis, Ivonem de Porta Morardi, Stephanum Rogerii, Hugonem cocum, nobis in plegios tradidit; qui, nisi tutelam ipsius terre omni tempore vite sue conservarent, ecclesie dictante justicia, excommunicandos se publice judicaverunt. Sed ne quid amplius de securitate terre illius dubitaremus, alios tres plegios, Barbotum scilicet et Martinum guesderium et Erembertum inpresentiarum dedit, ut, si, quod absit, supradicti omnes ab hac rectitudine quandoque deviarent, LX[ta] decem solidos pro eadem terra nobis redderent : Barbotus, XX ; Erembertus, XX ; Martinus, XXX. Huic dono in capitulo sancti Petri facto interfuerunt : Stephanus Rogerii, Hugo cocus, Barbotus Aloherius, Ivo de Porta Morardi, Willelmus Girardi, Hilderius, Ernaldus Temeru, Tescelinus, Martinus. Hoc etiam donum concesserunt filie ejus, in domo ipsius, Maria, Adelina, Isabel, Eustachia, sub predictis testibus. »

[1] Fort. legend *quoad viverent*.

XIII.

De terra apud Piati Villare Sirardo cuidam, in monomachia pro ea devicto, ad XXVI solidos census concessa.

« Hac conditione terra Pauci Villaris data est cuidam homini, nomine Sirardo, quatinus annuatim, in festivitate sancti Remigii, reddat nobis monachis sancti Petri XXVI solidos, nisi ex his aliquid remittamus ei. Quod si negligenter, statuto termino pretermisso, determinatum censum reddere distulerit, vel aliquam forisfacturam incurrerit quam emendare noluerit vel non poterit, predictam terram dimissurus est nobis solidam et quietam. Attendendum autem quod idem iste homo, calumpniando hanc terram, bellum adversum nos iniit; in quo postquam devictus succubuit, intentione pacis et concordie, superius dicta conditione, ipsam terram censoriam ei commendare nobis libuit. Hii interfuerunt testes : Adventius; Rainaldus, filius ejus; Laurentius, Berengarius; Robertus, filius ejus; Odo major, Durandus pistor, Gilduinus de Bodacis Villa, Gaufridus cocus, Salomon major. »

XIV.

De via ab Adela comitissa versus Sanctum Leobinum concessa.

« Succedentium noticie innotescat fidelium, quod Adela, egregia comitissa, uxor Stephani comitis, in expugnatione Jerosolimitane terre jam defuncti, pro ipsius anima et pro sua, dedit sancto Petro, annuentibus suis filiis G. et H.[1], tramitem quendam apud Sanctum Leobinum, qui disterminat clausum Sigismundi et vineas Fulconis 1102-1122.

[1] Stephanus ex Adela complures filios filiasque habuerat. Hi duo de quibus hic mentio, sunt 1°. Guillelmus, qui a patre exhæredatus, nomen uxoris suæ, ex gente Sulliacensium, sumpsit; 2°. Henricus, ex monacho Cluniacensi episcopus Vintoniensis factus; nisi forte hac littera H designetur Humbertus, quintus Adelæ filius, qui juvenili ætate defunctus est.

archidiaconi. Hoc idem annuit Nevelo, ad cujus fiscum predictus trames pertinebat, assentiente Ursone filio suo. Actum est hoc coram subscriptis testibus : Nevelo; Urso, filius ejus; Joscelinus, Ansoldi filius; Hugo, nepos ejus; Hugo, Morini filius; Guillelmus, Ribaldi filius; Augrinus, Rogerius, Durandus carnifex. Ex parte nostra, Guillelmus archidiaconus, Fulco; Henricus, Guidonis filius; Wlgrinus, Bernardus, Durandus famulus, Gislebertus, Rainardus, Gilduinus de Boesvilla. »

XV.

Quod Hugo vicecomes calumpniam quam de vicaria Belsie nobis fecerat dimisit; simulque quod terminus reddendi XX solidos census pro eadem vicaria Garino de Cepei ad festum sancti Remigii sit translatus.

1101-1129. « Et presentes et qui futuri sunt fideles, nos monachi sancti Petri Carnoti, nosse et certos esse volumus, quod Hugo vicecomes, calumpniatus est adversum nos vicariam de Belsia, illam quam de Garino, filio Durandi de Cepei, XX solidos census in festo sancti Nicholai annuatim reddendo, tenebamus, dicens nec antecessores suos nec se eandem vicariam aliquando concessisse. Qua videlicet calumpnia diutius nos et per multa placita vexavit; de fevo enim suo vicaria eadem erat. Postea vero quam multum nos placitando fatigavit, tandem ad concordiam venimus, eique, in concordie ejusdem federe, VIII^to libras dedimus. Igitur et quam intulerat calumpniam remisit, et vicariam immunem nobis in perpetuum atque quietam concessit; excepto quod illos XX solidos, quos in festo sancti Nicholai reddere solebamus, in festo sancti Remigii, addito uno denario, nihilominus Garino de Cepei annuatim reddemus; nam et ipse Garinus, cum Pagano fratre suo, hanc termini mutationem fieri concessit. Hec, inquam, Hugo vicecomes, sicut dictum est, concessit, et uxorem suam Agnetem, et filios Ebrardum atque Burchardum concedere fecit. Facta sunt hec, presente et concedente comite Theobaldo et domno Guillelmo, nostro tunc abbate, et quibusdam ex monachis nostris, cum pluribus de baronibus predicti comitis assistentibus, quorum nomina hec sunt :

Guido de Alnetello, Nivelo, Hugo de Castro Theodorici, Hubertus prefectus, Herveus de Galardone; Radulfus, filius Hagani; Gualterius de Treleveisin, Amalricus de Levesvilla, Joscelinus de Mungeri Villa; Ansoldus, filius Godeschalli; Hugo prepositus, nepos Ernaldi decani. »

XVI.

De alodis, in Abunvilla uno, et aliis quibusdam apud Rosetum, datis a Guntardo de Garenceriis [1].

« ....Ego Guntardus de Garenceriis omnibus tam presentibus quam futuris, et maxime monasterii sancti Petri Carnoti curam gerentibus scripto notificari disposui, quo pacto societatem monachorum ejusdem loci adeptus sim. Domnum enim Landricum abbatem et fratres regimini illius subditos adii, et ab eis participationem orationum postulavi. Cujus rei gratia, alodum unum in villa que dicitur Abunvilla itemque alios apud Rosetum, vicinos terre beati Petri, jure hereditario, Galterii filii mei consensu et prece, dedi supramemorato loco beati Petri, apud quos factus monachus intransibilem vite terminum expecto. Hujus rei testes sunt ex mea parte : Harduinus de Abunvilla, Herbertus de Pevilla. Ex parte vero monachorum : Stephanus Galeius, Frodo, Hubertus matricularius; Gilbertus, Himonville major; Laurinus pistor. Si quis hanc rem adnullare temptaverit excommunicationi subjacebit. » 1033-1069.

XVII.

Cod. hic habet eam chartam quæ jam edita est superius, part. I, lib. VII, c. LXXVI, p. 202 sq.; ideoque nunc satis erit notam chronologicam ex Cod. Argent. adscribere.

« Actum est hoc Carnotis, Philippo regnante II° anno. » Anno 1062.

[1] Vid. superius, part. I, lib. VII, cap. C, p. 222 et 223.

XVIII.

Huic chartæ, quam jam edidimus, part. I, lib. VIII, c. XVI, p. 241 sq.; addendæ sunt notæ quæ sequuntur.

Anno 1079. « Acta est charta hec publice Carnotis a Paulo monacho, indictione II[a], regnante Philippo rege in Francia. »

XIX.

Chartam ipsam habes superius, part. I, lib. VII, c. C, p. 222 sq.; cui, ex Cod. Argent, subjunge

1069-1079. « Actum est hoc, regnante Philippo rege Francorum, post mortem quidem Theodorici abbatis. »

XX.

De clauso Mainerii apud Hussetum a Hugone de Frenvilla [1] nobis dato.

« Quantum venerationis patri vel matri quemque christianum deceat impendere, sive adhuc superstitibus, seu e corpore migrantibus, sacra divine scripture actoritas salubriter patenterque intonat, dicens : *Honora patrem et matrem, ut sis longevus super terram* [2]. Hujus consilii salutiferam ammonitionem, ego Hugo de Frenvilla, sollicita cordis aure hauriens, pro anima mee matris, nomine Gervisse, perhenni firmitate sancto Petro dono clausum Mainerii, apud Hussetum, amoto totius calumpnie impedimento, ita liberum et quietum sicut tenueram, annuentibus conjuge mea cum sorore, Hilgoti uxore, et filio ejusdem Hilgoti, nomine Fulcone. His astantibus : Hilgoto, Begone, Laurentio; Gaufrido, Galterio, Gilduino cocis, Christiano ostiario, Odone pistore. »

[1] In indice capitulorum hic legitur, *de Fredeni Villa*.

[2] Exod., XX, 12.

XXI.

De calumpnia in Albertum et Berardum et fratres ejus, ecclesie nostre servos, a Paulino, filio Ebrardi, missa et dimissa.

« .... Quidam miles Paulinus, filius Ebrardi de Leni Villa, familiam quandam, Albertum videlicet Berardum et fratres ejus, nobis calumpniabatur, et vi quadam nobis eam auferre nitebatur; unde etiam unum ex illis, Herbertum nomine, filium Roberti, dum et sua et patris sui quereret necessaria, cepit cum equitaturis suis, et captum diu tenuit. Rogatu tamen quorundam amicorum nostrorum, illum solum nobis reddidit; jam enim, ut ipse dicebat, equitaturas vendiderat. Hanc nobis diu injuriam et de calumpnia et de equitaturis quas retinebat intulit. Tandem, Dei gratia, suam esse falsam calumpniam recognoscens,.... venit in capitulum sancti Petri, et in manu domni Willelmi abbatis, de injusta calumpnia rectitudinem fecit; equitaturas autem hominis quem ceperat.... se redditurum promisit. Videntibus : ex parte ejus, Roberto Flagello et Helia, milite suo; ex nostra, Huberto, filio Balduini; Christiano pelliterio, Fulcone pelliterio, Frollando pelliterio, Roberto marescallo. » 1101-1129.

XXII.

Quod filii Erchembaldi Willelmus et Guido et alii, calumpniam terre Lemori Villaris dimittentes, eam se contra omnes homines defensuros juraverunt.

« His litteris recitantibus memoria nobis succedentium subnixa indubitatione recordetur, filios Erchembaldi, Willelmum et Guidonem, assentientibus ceteris fratribus, Radulfo clerico et Adelardo, cum sorore sua, calumpniam illius terre, que dicitur Lemori Villaris, perpetuo dimisisse, et sacramento jurasse nunquam se amplius monachis sancti Petri super hac terra calumpnie querelam suscitare, sed contra omnes querelatores eam terram, placitandi lege vel belli, tenaciter se defendere, et ob hoc monachos sancti Petri LX solidos eis tribuisse. Huic

concordie isti interfuerunt testes : Robertus Aculeus; Theobaldus, filius Stephani; Ansoldus Infans, Stephanus Rufus. »

XXIII.

Quomodo abbas Eustachius terram Lamervillaris ab Erchembaldo et Ansoldo acquisivit.

Mart. 1091/1092. « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, incommutabilis et individue Trinitatis. Hanc cartulam filiorum Dei custodie deputatam, a maleficis conatibus incorruptam omnique decore integritatis illesam conservandam, et ejusdem suggestionibus accuratissime perpendant[1]; unde etenim hujus veritatem inviolabilem conservaverint, inde procul dubio celesti titulo ascribi celestisque hereditatis participio, celestis patris vocatione fungi promerebuntur. Noverint ergo domnum Eustachium abbatem terram Lemervillaris in necessarios usus sui cenobii non improvide, Dei gratia dispensante, acquisisse. Erchembaldus namque Himavillensis et Ansaldus nepos ejus, qui ei antea presidebant, dominis eorum dominorumque dominis concedentibus, abbati et monachis eandem quiete per secula possidendam, non tamen sine grandi peccunia, assignaverunt. Sed quanta peccunia, quibus et qualiter sit distributa, non inutile hic terminari decrevimus. Sciendum itaque quod, pro suo suorumque guerpo et assensu, collato omnibus ab abbate et monachis orationum suffragio, idem et prefatus nepos ejus ab abbate et monachis predictis XX libras Carnotensium acceperunt; filii ejus ejusdem monete XX^ti solidos; uxor vero ejus XL solidos. Harum autem omnium nomina, Erchembaldi scilicet et suorum, preter incognitos de quibus, si qua quandoque evenerit inquietatio, se ipsos plegios dederunt, seriatim et congrue hic ascripta esse[2] displicebit; quo fit ut et dominos, auditores, auditores et testes, titulorum indicio abinvicem divisos, subsecutive reconsignemus. Herchembaldus Hunavillensis[3]; Hildeburgis, uxor ejus; Guillelmus, Radulfus, Guido, Gaufridus, Adelardus, Ansaldus, Luiduinus.

[1] Sic.

[2] Supplend. est, *non*.

[3] Superius *Himavillensis*.

Domini eorum : Bartholomeus; Fulcherius, frater ejus; Helisendis, uxor ejus. Auditores concessionis dominorum : Ebrardus vicecomes, Petrus Arraldi, Willelmus de Bena, Goscelinus de Mongelvilla. Auditores et testes venditionis, concessionis venditorum et dominorum et auditus auditorum : Adventius miles, Laurentius cubicularius, Salomon major, Gislebertus Lorini, Gilduinus cementarius. Hec igitur acta sunt anno ab incarnatione Domini MLXXXXIIII°, mense marcii, indictione III^a [1], Philippo rege regnante, Ivone Carnotensi presidente episcopo. »

XXIV.

Item quomodo Willelmus abbas eandem Lemeri Villaris terram a calumpnia filiorum Erchembaldi, qui eam dederat, Willelmi scilicet et aliorum, necnon et Radulfi de Danonis Villa, mariti cujusdam filie Erchembaldi, liberavit; adeo integre ut filii Erchembaldi eam se contra omnes homines nobis defensuros juraverunt.

« Ego frater Willelmus, monasterii sancti Petri Carnotensis abbas, Circa a. 1109.
maliciam hominum et inconstantiam in dictis et operibus suis considerans, hoc instrumentum ipse dictando sine fuco composui, precipiens et monens ut presentis pagine scripto fiat notum indubitanter successoribus nostris et quibuscunque notificari necessitas postulaverit, qualiter successore [2] nostro domno bone memorie Eustachio, terra Lameri Villaris in jus ecclesie nostre devenerit, et quales calumpnias temporibus nostris de ea habuerim, et qualiter eas finierim. Herchembaldus siquidem miles erat, plures possidens terras, non tamen rebus necessariis dives. Hic providens morti sue et etiam vite temporali, moliens sibi ad utramque vitam securitatem, obtulit sancto Petro terram Lemeri Villaris, quia erat vicina terre nostre de Abonis Villa; exigens pro elemosina illa concedi sibi fraternitatem ecclesie sicut vellet fieri monachus, et, quando vellet, susciperetur absque alicujus rei, nisi forte spontanea, donatione; si vero in seculari

[1] Indict. III^a convenit cum a. 1095. [2] Corrig. *predecessore.*

habitu eum mori contingeret, in cimiterio nostro, monachis nostris ut fratri facientibus, sepulturam haberet. Et etiam, quoniam penuria familiaris rei premebatur, petiit ut ei aliquantulum de pecunia ecclesie donaretur. Quod, sicut obtulit et petivit a domno Eustachio abbate, susceptum est et concessum, et, coram multis testibus quorum nomina subnotata sunt, a Bartholomeo Butello et fratre Fulcherio, et ab uxore ejus Helisendi et filio Girardo, et a domna Philippa de Curva Villa et filio ejus Ivone, et Gradulfo de Ysis et filio ejus Roberto, qui, ordine quo sunt scripti, terre domini erant, concessum et confirmatum. Testium qui huic dominorum concessioni astiterunt sunt hec nomina : Ebrardus vicecomes; Petrus, filius Arraldi; Willelmus de Benis, Joscelinus de Mongelvilla, Gualterius de Treleveisin, Garinus de Friasia. Hanc autem donationem terre Lermervillaris fecit Erchembaldus, sicut dictum est, concedentibus Hildeburge uxore sua et filiis suis Willelmo, Radulfo, Guidone, Gaufrido, Aelardo, et nepotibus ejus Ansoldo, Lulduino. Ex nostra parte et viderunt hii donationem quam diximus et concessionem : Adventius, Laurentius, Salomon. Post, aliquot annis labentibus satis male, quia subite in domo sua mortuus est Erchembaldus; et cum de suis non essent qui eum de domo vellent etiam exportare ad sepulturam, monachi nostri, memores fraternitatis concesse, illum exportari fecerunt et in nostro cimiterio sepelierunt. Pluribus annis postea decurrentibus, fratres nostri terram illam, et tempore meo fere sex annis, possederunt. Tandem filii ejus Erchembaldi qui concesserant, iniquitatis spiritu agitati, calumpniam nobis de terra supradicta fecerunt. Quibus cum sequi justiciam in curia ecclesie vel in curia domne Helisendis, de cujus jure terra illa procedebat, offerremus, recipere recusaverunt; sed, adeuntes quendam hominem fortem, Johannem nomine, apud Tampas, ejus adjutorio freti, predari terras nostras ceperunt, et casulas quasdam in eis combuxerunt. Nos autem Tampas euntes, clericis et baronibus ville injuriam quam nobis illi faciebant monstravimus, et quod villam excommunicari faceremus, si eos ulterius retinerent vel eis ad hoc malefactum aliquod auxilium preberent, annunciavimus. Quod audientes clerici

et barones, preceperunt illis ut vel justiciam suam in disceptatione placiti monstrarent vel ab infestatione nostra desisterent. Illis autem respondentibus se Carnotum non ausos ire, sed ibi paratos esse justiciam suam probare, quidam de fratribus nostris, qui ad hoc missus erat, confisus de justicia nostra, aliquantulum inconsulte respondit nos ad justiciam exequendam quemlibet locum non effugere, et die terminato constituit ibi placitare. Die statuto, affuerunt fratres a nobis missi, cum quibusdam testibus qui audierant quod Willelmus et fratres sui concesserunt donationem illam terre Lemervillaris, quam fecerat Erchembaldus pater eorum. Ex quibus testibus Gualterius de Treleveisin proposuit se, ad probandum duello diem accepit, quod audisset eos concessisse donationem illius terre, sicut pater eorum fecerat, id est sicut presens carta testatur; ad quod et illi finxerunt se preparari, putantes se aliquibus diverticulis, que plurima quesierant, posse superiores existere. Sed cum viderent quod nusquam et nunquam deficeremus, resipiscentes, et injuriam quam habebant recognoscentes, in capitulum nostrum venerunt Willelmus et unus de fratribus suis et quidam alius qui cum illis in injuria nostra fuerat, de malo quod nobis fecerant veniam postulantes, et ibi, coram me et toto capitulo et testibus quorum nomina subscripta sunt, confessi sunt, et juraverunt super reliquias quas proposuimus, quod nunquam ulterius, vel per se vel per quemlibet alium, nobis de terra illa inquietudinem moverent, et fratres suos qui non aderant et sororem adhuc virginem concedere facerent eandem concessionem quam ipsi innovabant. Posuerunt etiam ipsi in sacramento, quod si quis, quicunque esset, nobis de terra illa calumpniam moveret, ipsi placito et, si necessitas postularet, bello nos, quantum possent, adjuvarent. Hoc viderunt et audierunt Robertus Aculeus, Stephanus Rufus, Galterius de Bona Valle, Durandus faber, Georgius major, Durandus sartor, Adventius miles; Rainardus, filius ejus. Non post multos dies postea concesserunt fratres eorum idem sicut illi concesserant et juraverant. Sororem vero, quoniam ab avunculo suo custodiebatur apud Castrum Dunum, non potuerunt adducere; sed ipse Willelmus, major fratrum etate, juxta dispositionem nostram assumpto domno Rainerio monacho,

tunc cellerario nostro, ad Castrum Dunum perrexit, avunculo suo Alberto et sorori sue quod nobis pepigerat exposuit, sororem suam ad concessionem terre, coram domno Rainerio, invitavit. Illa vero, audientibus his quorum nomina subscripta sunt, voce manifestata, concessit, et a cellerario nostro Rainario duos solidos denariorum accepit. Post hec, elapsis fere duobus annis, contigit illam nubere cuidam militi, Radulfo de Danonis Villa, qui, non multis diebus subsecutis, de terra predicta nobis calumpniam fecit. Cui et justiciam in curia episcopi obtulimus, et, cum se suscepturum concederet, diem exequendi quod juste judicaretur constituimus. Quid plura? Ventum est in curiam; dixit ille se terram Lamervillaris ideo repetere, quod jus esset hereditarium uxoris sue, utpote quam pater suus possederat, et ipsam nunquam ecclesie concessisset. Ad hec nos respondimus nos quidem legitimis testibus posse probare quod illa concesserit, sed nolle in hanc defensionem, ab illa qua ubique terrarum jus suum defendit ecclesia, descendere, nisi ecclesiastice ecclesie judicium compulerit; et postea donationem quam Erchembaldus fecerat, sicut superius hec carta demonstrat, exposuimus, et secundum nostra et ejus dicta judicium suscipere parati fuimus. Ad quod judicium suscipiendum cum quosdam clericos et laicos misisset episcopus, non patuit quare illi, judicio non facto, redierunt, et alium diem et alios ad judicium faciendum postulaverunt. Item alia dies illi judicio posita fuit; que cum venisset, in curiam episcopi convenimus, dicta nostra et illius commemorati sunt judices idem qui prius, preter paucos qui aberant, et alii complures archidiaconi et ecclesie clerici. Quibus judicium discutientibus cum episcopo, misit ille Radulfus ex consilio suo ad domnum episcopum, dicens se non recipere judicium clericorum. Cui contra mandavit domnus episcopus, si vellet recipere, justum judicium sibi fieri preciperet; si autem de judicibus quereretur, ipse faceret judicium a quibus judicibus deberet sibi super his judicium fieri. Hanc domni episcopi oblationem judicii Radulfus ille contempsit, et ceteri ii qui secum venerant, non sine comminationibus abscessit. Eum, cum pluribus amicorum nostrorum et hominum nostrorum, Rainaldus monetarius, monachus noster, est secutus, et,

audientibus suis et nostris, eum ut rediret invitavit; dicens nos paratos esse suscipere judicium quodcunque, a quibuscunque personis quibus imponeretur fuisset judicatum; et hoc ille contempnens abscessit. »

XXV.

De terra de Moesi Villa a Radulfo de Villeredio data, et a filio Petro et Hugone vicecomite calumpniata prius et postmodum concessa.

« .... Miles quidam, nomine Radulfus, agnomine de Villiriaco appellatus, eo tempore quo domnus Willelmus huic monasterio abbatis officio ministrabat, ad conversionem veniens, dedit nobis in Moesi Villa terram ad unam carrucam, quiete et sine calumpnia, eaque qua ipse eam libertate possederat sive tenuerat, in perpetuo possidendam, presentibus atque concedentibus fratre suo Stephano, et filio Petro. Verum quamvis jam nominatus Petrus, filius ejusdem Radulfi, hoc, sicut dictum est, concesserit, tamen, post mortem patris, terram eandem, quantum potuit, nobis impedivit calumpniando, seque nunquam ut nobis daretur concessisse mentiendo. Unde ad placitum justiciamque, per domnum archidiaconum, tunc Gualterium de Bona Valle, coactus atque convictus, injustam se nobis intulisse calumpniam cognovit, suaque iterum confessione patris beneficium firmavit, ibique, data fide sua qua christianus erat, se non solum nullam deinceps calumpniam facturum, sed etiam contra omnes homines nobis eam defensurum quantum legitime prevaleret. Viderunt hoc atque audierunt ipse domnus Gauterius archidiaconus, in cujus curia hoc atque judicio actum est, et de monachis nostris, cum domno abbate Willelmo : Rogerius, prepositus in Belsia; Radulfus de Alta Brueria, tunc bajulus domni abbatis; Ingelbertus de Saxonis Villa, Girardus, Theodoricus, Gelbertus, Hitres de Chavennis, Hugo Malus Vicinus, Goscelinus de Mongerii Villa, Gaufridus Ivonis, Ebrardus de Husseto, Fulcherius de Fraxineto. Ex parte vero Petri : Stephanus, patruus ejus, et Paganus, sororius ejus. Quia vero terra illa de qua hic agitur de fevo Herberti, filii Ergersendis, erat, qui et ipse eam a Hugone, vice- 1101-1124.

comite de Puteolo[1], tenebat, Herbertus quidem prior eam concessit. Vicecomes vero ad concedendum aliquantum durior fuit; ad extremum vero, nobis operam dantibus, venit in capitulum nostrum, omnemque calumpniam, in quam se contra nos erexerat, dimittens, beneficium hoc sua concessione firmavit, videntibus atque audientibus : Theobaldo Hervei, Odo Crato, Benevale, Thoma, Adelardo de Fens; isti milites cum vicecomite venerunt. Ex nostra autem parte interfuerunt : Hugo de Belsi Villa, Robertus, Adelardus, Robertus major. »

XXVI.

De terra quadam apud Alonam ab Ivone, filio Norberti, nobis data et ab uxore ejus Agnete, una cum Garino fratre suo, concessa.

« Hujus scripti recitatione subsequentium memoria vivaciter certificetur, quod terram illam quam Ivo Norberti, apud Alonam existentem, ultima ejus egritudine perurgente, ad monastice religionis remedium fugiens, sancto Petro reliquit, uxor ejusdem, Agnes nomine, annuente filio suo Gaufrido et filiabus, assensus sui soliditate contra omnem insurgentis calumpnie impetum, astantibus his testibus : Avesgodo, Stephano; Radulfo, ejus filio; Herberto, Hilduino preposito, munivit. Prebuit quoque assensum Garinus de Alona, frater prenominate mulieris, cum uxore sua et filiis Odone, Ansoldo, Adam, ceterisque filiis et filiabus, coram his testibus : Stephano, Radulfo, Rodberto, cum duobus filiis Garino, Fromundo; Bernerio; Roberto, ejus filio; Guado, Palmario, Cadio, Galterio. »

[1] Hugo de Puteolo, cognominatus Junior, cum Ansellum de Garlandia, regis dapiferum, per insidias necavisset, Hierosolymam profectus, ibidem vita functus est. Videtur autem a Gallia non discessisse ante annum 1124. Conf. *Scriptt. Franc.*, t. XII, p. 41, n. *a*.

XXVII.

Cyrographum libertatem cujusdam Durandi continens.

« .... Ego Willelmus, abbas sancti Petri, hujus scripti testimonio nobis succedentium memorie notifico, me, assensu totius capituli, hunc hominem, nomine Durandum, qui, cum prius liber esset, quia quandam nostram ancillam, nomine Dudam, accepit uxorem, vinculo servilis conditionis apud nos est obligatus, pristine libertati eum, cum tota suorum procreatione infantium, restituisse. Prefata cum[1] nostra ancilla, uxore ejus, absque liberis defuncta, portionem substantie que ad eam pertinebat vir ejus Durandus dimittere curavit, estimans se iccirco ad priorem statum libertatis posse reverti. Hac itaque spe admonitus, sub voce libertatis alteram duxit uxorem. Quo nobis comperto, cum eum cepissemus quasi nostrum reclamare, impetravit a nobis, tam per se quam per Robertum, nostrum monachum, cujus sororem duxerat uxorem, absolvi ab omni conditione servitutis cum tota suorum procreatione infantium, nobisque restituit illam portionem substantie quam, priore conjuge defuncta, sibi injuste detinuerat. Actum est hoc in capitulo sancti Petri, anno dominice incarnationis MCVIII°, assistentibus his testibus : ex parte Durandi, Ansoldo Goetho, Ansoldo elimatore, Roberto IIII^or^ Boves, Theobaldo; Salomone, filio Jeroarde; Salomone de Bonvilla. Ex parte monachorum, Aventio, Rainardo filio, Roscelino, Ingelberto majore, Belino. » Anno 1108.

XXVIII.

Charta quæ hic habetur in Cod. jam prodiit superius, pars I, lib. VIII, c. XIII, p. 238 sq.; subjungemus duntaxat notas quæ sequuntur.

« Anno ab incarnatione Domini MLXXXII°, indictio[2] V, nonas martii, regnante Philippo nobilissimo rege Francorum, Theobaldo comite,.... Galterius vicecomes, etc. » 7 mart. 1082.

[1] Expungenda videtur vox, *cum*.   [2] Sic.

XXIX.

De terra apud Emonis Villam a Hungario et Hugone filio suo nobis reddita et a Girberto Rufo prius data.

« Legentibus scriptum hoc certum sit, quod Hungerius de Amonis Villa, priusquam eum in monachum reciperemus, satisfecit toti capitulo nostro, una cum Hugone aliisque filiis suis, de eo quod abstulerat ecclesie nostre quandam terram, quam patruus ejus Girbertus Rufus, eo tempore quo et ipsum ad monachatum reciperemus, nobis dederat. Predictus etiam Hugo, consilium auxiliumque suum, quantum, salva equitate, posset, nobis promisit ad recuperandam ejusdem terre partem, quam quidam cognatus ejus, Simon nomine, similiter injurie violentia nobis tollebat. »

XXX.

De terra quadam a Petro de Fulcone redempta, cujus redemptionis C solidi ecclesie nostre ab ipso Petro delegati sunt post mortem ipsius habendi.

« Scripti hujus testimonio noticie tradimus et memorie commendamus, quod Fulco, filius Girardi, quandam terram Odonis, majoris de Boevilla, ab ipso in vadimonio pro VI libris accepit; quorum hec conventio fuit, ut, quandiu terra in vadimonio esset, Odo araret eam et Fulco seminaret; et, hac quidem conditione, illam terram in vadimonio acceptam Fulco diu tenuit. Tandem, prefato Odone defuncto, vivente quodam filio ejus adhuc parvulo, cuidam famulo sancti Petri, qui vocatur Petrus, Fulco terram eandem redimendam concessit; cui de summa pretii prefiniti, amore sancti Petri et nostri gratia, XX solidos donavit. Petrus vero terram illam eo pacto V libris redemit, ut, si ante moreretur quam terra illa de manu sua redempta esset, quandocunque redimeretur, census quo ipse redemerat eam sancto Petro solveretur. Huic rei testes affuerunt : ex parte nostra, Adventius miles, Durandus faber, Durandus pistor; Rainaldus, filius Ernulfi; Robertus, filius Fulconis, filii Girardi. Ex parte

Petri, Alo hortolanus, Stephanus Belinus, Gosbertus de Paradiso, Mainardus de Boevilla, Robertus major; Rainardus, filius Adventi militis. »

XXXI.

De Moenvilla data nobis a Hildegarde, uxore Ansoldi de Mongervilla, et a Pagano, filio ejus, et Hugone Dunensi vicecomite concessa.

« Noticie tam presentium quam sequentium palam esse volumus, quod Hildegardis, uxor Ansoldi de Mongeri Villa, cum moreretur, reliquit nobis in elemosina terram quam habebat apud Moenvillam, quam vir suus prior Radulfus, qui cognominatus est Bigotus, emerat atque ei propriam ad quicquid vellet faciendum dederat. Et Paganus de Mongeri Villa nobis eam concessit ipse et uxor ejus Adelais, et filii ejus omnes et filie, et Hugo vicecomes Castridunensis, qui supremus dominus erat. Veniensque Paganus, post paucos dies quam illa obierat, in capitulum nostrum, cum uxore sua supradicta et majore filio suo, pro hac concessione facienda, accepit a nobis suffragia orationum et alia monasterii beneficia, et sepulturam, quando moreretur, si vellet ad nos se adportari; et, si in sanitate sua vellet ad nos venire et monachus fieri, eum reciperemus. Insuper et pro hac eadem re dedimus ei LX solidos; hac conditione tamen, ut, si quis hanc terram nobis calumpniaretur et prevaleret, nec ipse posset eam defendere, fide data hanc eandem pecuniam promisit nobis reddere. Hoc etiam constituimus ei, quod, si quis homo suus eam calumpniaretur, in curia ejus responderemus ei quantum deberemus de re nobis data in elemosina. His audientibus qui subscripti sunt : Roberto Aculeo, Willelmo filio suo, Hugone Bove, Ansoldo Godescalli. Ex parte sua, Galterio, clerico de Bonavalle; Gallino clerico. »

XXXII.

Item de terra apud Moenvillam a Radulfo de Villeredio nobis data, de qua re XLIII° capitulo plenius habetur comprehensum, hoc est superius decimo[1].

« Notum sit quod Radulfus de Villeredio, veniens ad conversionem in infirmitate in hoc cenobio sancti Petri, dedit Deo et beato Petro unam carrucatam terre apud Moenvillam, concedentibus filiis suis Hugone et Petro, fratre ejus, et per fidem suam firmaverunt, quod, si non possent terram illam adquietare nobis monachis sancti Petri usque ad duos annos, tale quid ad valens commutarent quod placeret domno abbati et nobis, vel in terra alia vel in pecunia. Huic dono ejusque confectioni interfuerunt : Stephanus, frater ejus, et Germondus de Santo Albino, et Herbertus, filius Doonis; Gaufridus de Bainol, Herbertus de Bello Villari. Ex nostra parte : Belinus rufus; Julduinus, frater ejus; Odo pistor, et Budinus, filius ejus; Gaufridus cocus, et Rogerius, Garinus furnerius. »

XXXIII.

De terra apud Emprenni Villam a Herberto Boslu nobis data et a matre et sorore sua concessa.

« Quando Herbertum, filium Isembardi, ad monacatum recepimus, terram quoque quandam, que ejusdem patris sui fuerat, apud Imprenvillam, simul cum eo ipso donante recepimus. Concesserunt hoc ejusdem Herberti propinqui : Odo Pelevilen et frater ejus Galterius, et soror Ermengardis, cum Advisa matre sua. »

[1] Nobis c. XXV. Vid. superius, p. 421.

XXXIV.

Quod Fulchardus terram quam apud Balneolum tenebat nobis reliquit.

« Notum sit omnibus quod terram illam, quam Fulcardus apud Baigneolum tenebat, sancto Petro quietam reliquit, annuente filio suo Ingilranno, atque filia Alpurgi, cum marito suo Roberto. His astantibus : *etc.* »

XXXV.

Commemoratio plegiorum Hugonis Mali Parvi et Roberti filii Raimberti.

« Hii qui scripti sunt plegii sunt Hugonis Mali Parvi et Roberti, filii Raimberti de Villa Nova, erga nos monachos sancti Petri; tali siquidem pacto, ut, si illi ulterius rapinas fecerint, ad quas faciendas vel quas in terram nostram receptaverint[1], vel si quid aliud forisfactum nobis fecerint quod non velint vel non possint emendare, reddant nobis plegii XX libras, si ambo forisfecerint; vel, si alter eorum tantum forisfecerit, plegii ejus decem libras nobis persolvent. Plegii Roberti : Gaufridus de Commonvilla, XX solidos; Odo de Moenvilla, XX solidos; Garinus Becutus vel Bechutus, XX solidos; Garinus de Moenvilla, XX solidos; Albertus de Villa Nova, XX solidos; Robertus Bigot, XX; Richardus Pellis, XX; Garinus, filius Raimberti, XX; Teobaldus de Villa Nova, XX; Landricus de Villa Nova, XX; Albertus de Moenvilla, XX. Plegii Hugonis : Hugo de Puteo, XX solidos; Richardus de Villa Nova, XX solidos; Popinus, XX; Rainardus, filius Mainardi, XX; Garinus de Moenvilla, XX solidos; Garinus Bechutus, XX; Teobaldus de Moenvilla, XX solidos; Garinus, filius Raimberti, XX; ipse Hugo Parvus, XL. »

[1] Sic.

XXXVI.

Quod Nivelo de prava consuetudine jacendi in terra nostra, cum Ursone filio suo, nobis satisfecit.

Circa a. 1097. « Quisquis suorum sarcina peccaminum, quorum gravamine peccatoris spiritus, ne ad superna evolet, deorsum premitur, superne gratia propitiationis inducta ei venia, liberius exonerari exoptat, anticipet sua scelera, priusquam ipsa eum deserant, terminare. Ego igitur Nivelo[1], generis nobilitate, que in multis ignobilitatem mentis gignit, exortus, oppressionem cujusdam prave consuetudinis, qua, non jure antiquitatis, sed a tempore mei patris, hanc prius in pauperes exagitare parvipendentis, michi tradita, mee deinde atrocitate obtinente tirannidis usurpata, terram sancti Petri, scilicet Amprainvillam vicinaque loca, eorundem incolas propriis facultatibus attenuando, jam in consuetudine duxeram inclementer atterere, sancto Petro, pro redemptione anime mee et pro pondere ingentis peccunie michi ob hoc impense, in perpetuum remitto. Hec enim erat importunitas hujus consuetudinis. Quotienscunque ferocitatis impetus militaris instigabat, assumpta mei equitatus caterva satellitumque turba, in prefatam villam consueveram descendere, facultatesque hominum sancti Petri meis militibus ad escam prodigialiter tradere. Michi itaque, pro hujus oppressionis remissione, peregre proficiscenti ad Jerusalem, que adhuc servit cum filiis suis, sub obtentu venie facinorum meorum a Deo impetrande, X denariorum libras ad sumptum prepositi itineris dederunt; et sorori mee, Hugonis Dunensis vicecomitis[2] uxori, nomine Comitisse, pro assensu, tres libras; Hamelino fratri meo, XL solidos; annuente filio meo Urseo ceterisque meis propinquis, quorum nomina infra exprimit subjecta descriptio. Quod si quis ex mea progenie, per successionem temporum, hujus concessionis firmita-

[1] Filius Fulcherii, domini Fretevallensis.

[2] Hugo III, vicecomes Dunensis, Rotroci I, comitis Mauritanie filius, de quo iterum sermo habebitur inferius, lib. III.

tem cassare temptaverit, subtitulatis convictus testibus, anathematis fulmine perfossus, cum Datan et Abiron gehennali incendio subdatur sine fine cruciandus. Unde, ad confirmationis munitionem, propria manu hic signum crucis facio, et filio meo, Urseo nomine, ceterisque propinquis et testibus sua signa ponentibus corroborandam trado. Et attendendum cunctis, quia de tam detestanda preterite obpressionis injuria sancto Petro satisfacio, ab hujus inquietudinis molestia in eternum sopita desiturus. Signa testium : † Nevelonis. † Hamelini, fratris ejus. † Ursei, filii ejus. † Comitisse. † Pagane, sororis ejus. † Hugonis vicecomitis. Ex parte monachorum : Gislebertus, filius Lorini; Gausbertus, filius Hildegarii; Guillelmus, filius Gilduini majoris; et Gilduini fratres, Gaufridus clausor, Durandus sartor. »

XXXVII.

Quid promissum sit matri Adelardi de Puteolo, qui totius substantie sue ecclesiam nostram fecerat heredem.

« In nomine sancte et individue Trinitatis, notum esse volumus, ego Robertus prior et omnis sancti Petri Carnotensis congregatio, quoniam hanc conventionem[1] Adelardo de Puteolo, qui se suaque omnia sancto Petro et nobis, ob remedium anime sue, contradidit; ut matri sue, dum in hoc seculo, Deo permittente, fuerit, singulis annis binos frumenti modios recipiat a nobis, in area nostra Germinonis Ville. De censu quoque ejusdem ville, qui in sancte Marie festivitate redditur ab ipsis ruricolis, habeat XV solidos. Si vero magis elegerit diatim prebendam suam, ad instar monachi, recipere, concedimus ei; eo quidem tenore, ut duo modii remaneant frumenti, si forte illud potius elegerit quod diximus. Hoc autem omnes pari voto spondentes, Richerium majorem supradicte ville sponsorem vel vadem dedimus, jubentes ut, sine ulla refrontatione, ipse frumentum, ipse solidos det terminis supradictis. Cartulam unam sibi, alteram nobis,

[1] Suppl. *fecimus cum* aut aliud ejusmodi.

nomine apostoli Petri signavimus, et quod nos suarum rerum, quas pridie jure possidere videbitur moritura, heredes decrevit. »

XXXVIII.

De terrula apud Fontinedum Thome, dum vixerit, et uni post se heredi, a nobis tradita.

1101-1129. « Ego Guillelmus, abbas sancti Petri Carnoti, assensu totius cui presideo capituli, concessi et concedo huic homini nostro Thome quandam terrulam quam apud Fontinedum ecclesia nostra habebat; tali pacto, ut, pro recognitione, annuatim minam unam tritici et alteram avene nobis reddat, et sic eandem terram et sibi et uni post se suo heredi liberam ab omnibus aliis, quantum ad nos pertinet, redditibus possideat; adeo ut nemini nec monaco nostro vel preposito de justicia ejusdem terre respondeat, sed tantum abbati et capitulo nostro subjectus sit tam ipse quam heres suus. De aliis vero, preterquam de terra, forisfactis, pro monaco et preposito nostro se per omnia justiciet. »

XXXIX.

Quod Martino et Auberto, filio ejus tantum, majoratus Emprenville fuerit concessus.

1079-1101 « . . . . Ego Eustachius, abbas sancti Petri, hujus descriptionis testimonio ad noticiam sequentium reducere studui, Martino de Empregni Villa et filio ejus Alberto soli, si patri superstes fuerit, majoratus villicationem in vita sua, et dimidium camparti masure quam tenuit pater, nisi, reatu exigente, perdiderit, me pari assensu fratrum commendasse; adjuncto etiam hoc, Albertum uxorem nullatenus esse ducturum, nisi favente nostre permissionis licentia. Et ut in hujus conventionis equitate fidelis erga nos incederet, sacramento confirmavit, testante horum testimonio : Laurentii; Gisleberti, fratris ejus; Fulcardi, Adventii militis; Rainardi, filii ejus; Oidelerii; Roberti, filii ejus; Roberti, fratris ejus; Alonis, Galterii, Ingelberti cocorum; Christiani. Ex parte Martini : Odo presbiter de Domna Maria. »

XL.

Privilegium Johannis, Aurelianensis episcopi, de terra Tornesiaci et Sorentii, inter nos et canonicos sancti Petri Puellaris et quosdam milites communi.

« * In[1] nomine sancte et individue Trinitatis, ego Johannes, Aurelianensis episcopus, absque dubitatione cognoscens acceptabile Deo et gratum esse, servis ejus, et maxime seculo renuntiantibus, necessaria corpori providere, et contra calumpniarum infestationes munimenta preparare, presenti scripto decrevi transferre ad noticiam successorum meorum quoddam beneficium, quod impendi cenobio Carnotensi, in honore sancti Petri, apostolorum principis, et Pauli et ceterorum constructo, approbatione canonicorum meorum. Notum sit igitur successoribus meis et omnibus videntibus hoc scriptum, in omni etate succedentium temporum, quod ecclesia sancti Petri Puellaris, que juris est Aurelianensis episcopi, quandam terram desertam habebat, in qua erant quedam deserta villaria, Tornesiaci scilicet et Sorentii, et quedam alia nichil fructus dominis suis reddentia. Hujus terre agraria tantum, que campipars dicitur, [2][canonicorum prefate ecclesie sancti Petri Puellaris erat, mansiones vero rusticorum, et census, et vicarie] et justicie omnes pertinebant ad duos milites, Petrum scilicet, majorem sancte Crucis, et Droesium patruum ejus, qui tenebant a Guidone camerario regis; et ipse Guido ecclesiam sancti Petri Puellaris et me[3], secundum consuetudinem predecessorum et meorum et suorum, non voluntate mea, tenebat, et ideo abbas ecclesie ipsius vocabatur. Convenit igitur inter illos duos milites et monachos sancti Petri, ut omnia que ad illos pertinebant in predicta terra, ecclesie sancti Petri et monachis ipsius, equaliter inter se et illos dividenda, perpetualiter concederent, conditione quam inter se cyrographo firmaverunt, assensu et concessione Guidonis camerarii et uxoris ejus Aalis. Similiter et canonici, assensu et concessione ejusdem Guidonis abbatis sui, que ad eos in eadem terra pertinebant eidem ecclesie

Anno 1111.

[1] Vulg. in *Gall. Chr.*, t. VIII, instr., col. 499.

[2] Ex apographo D. Muley.

[3] Fort. legend. *a me*, ut in *Gall. Christ.*

sancti Petri et monachis ejus perpetualiter concesserunt, conditione quam inter se similiter firmaverunt cyrographo, equaliter inter utrosque partienda. Sed quoniam dona vel concessiones predictorum militum sive canonicorum nullum stabilitatis robur absque mea et ecclesie mee concessione obtinere poterant, adierunt me monachi sancti Petri, rogantes ut, pro Dei amore et anime mee salute, dona et concessiones omnes et conditiones predictorum canonicorum et militum, sicut supra dictum est, ego quoque concederem et mei sigilli astipulatione cum ecclesia sua permansura firmarem. Quod quia michi utrisque, monachis scilicet et canonicis, visum est, utpote canonicis et militibus profuturum temporaliter, religionis vero monachorum conservande subministratione victus carnalis necessarium, eorum petitioni non restiti, sed, presentibus canonicis meis quorum nomina subscripta sunt, ipsis volentibus et approbantibus, concessi, et scripto presenti et sigilli mei attestatione cum tempore permansura roboravi. Quod viderunt et audierunt quorum nomina subscripta sunt. S. Johannis episcopi. S. Hugonis decani. S. Seguini precentoris. S. Archembaldi subdecani. S. Buchardi archidiaconi. S. Hugonis magistri scolaris. S. Hermenfredi succentoris. Actum est hoc Aurelianis, presente Johanne episcopo cum suprascriptis testibus, anno ab incarnatione Domini MCXI°, indictione IIII[a], regnante Loduiso rege, anno V° consecrationis ejus[1]. »

XLI.

Cyrographum conventiones de terra Tornesiaci et Sorentii continens inter nos et Petrum, sancte Crucis majorem, et Droiensem.

Ante a. 1111. « .... Ego Guillelmus, abbas sancti Petri Carnotensis, et fratres ejusdem nostri monasterii, presenti scripto utile duximus successorum nostrorum memorie commendare pactionem que inter nos et Petrum, filium Hugonis, majoris sancte Crucis, qui et ipse major, et Droiensem, patruum ejus, habita est de terra Tornesii et Sorentii, et

[1] Annus quintus consecrationis Ludovici VI incepit tertia die aug. 1112.

viculorum ad istos vicos pertinentium. Hujus enim terre mansiones hospitum et agrippenni, et omnes consuetudines quas terra debet, excepto terragio quod ad canonicos sancti Petri Puellaris pertinebat, juris eorum erant; sed, quia terra illa, frequenti depredatione raptorum et bellorum assiduitate, deserta erat, vel nichil vel modicum rependebat illis utilitatis. Convenit ergo inter nos, ut quicquid in illa terra habebant per omnia masnilia, etiam servos, ecclesie nostre in perpetuum habendum traderent, retenta sibi medietate omnium; excepta mansione nostra sicut clausa est, quam solutam et quietam, ita quod nichil in ea accipient, possidebimus. Si autem contigerit quod aliquod forisfactum in eadem mansione fiat, et forisfaciens in ipsa mansione nostra captus fuerit, forisfactum nostrum proprium erit; si vero extra captus fuerit, forisfactum commune erit. Concesserunt etiam nobis, ut ecclesiam in quocunque loco voluerimus faciamus; eo scilicet tenore, quod in corpore ecclesie nichil unquam accipient. Si vero vel domus vel terra in elemosinam vel ecclesie vel presbitero vel monaco data fuerit, quantum a priore possidente, tantum a subsequente accipient. In cimiterio quoque ejusdem ecclesie, quantum nos, tantum et ipsi in omnibus accipient. Habitatores autem tam in terra quam in cimiterio, quando nobis placuerit, ponemus; et, cum terra illa habitata fuerit, si aliquando contigerit eos ad alicui forisfaciendum proficisci, neque de terra illa proficiscentur neque ad eam revertentur. Si vero in terra illa pacifici, pro aliqua sua necessitate, venerint, apud servientem, qui nobis et illis communis erit, manebunt et de suo procurabuntur, nichil ab habitatoribus terre accipientes. Qui serviens, si illis forisfecerit, apud Aurelianis quod justum fuerit exequetur; quod si justiciam exequi noluerit, quantum in nobis erit, illum ad justiciam exequendam cogemus. Si vero nobis forisfecerit, Carnotum nobis justiciam facturus veniet; quam si exequi noluerit, ipsi similiter, quantum in eis fuerit, ad executionem compellent. Statutum est etiam et ab utraque parte concessum, quod nec ipsi nec successores eorum ab habitatoribus terre illius aliqua gravamina exigant, nisi forte eos vel aliquem eorum ab hostibus capi contigerit; tunc enim facient exactionem illam, que vulgo tallia

vocatur, convenienter, secundum laudem nostram et nostrum consilium; et, cum facta fuerit, nos medietatem ejus habebimus. Et nos similiter, pro nostra necessitate, eodem modo eandem exactionem poterimus facere; et, cum facta fuerit, ipsi medietatem accipient. Preterea in hac eadem pactione concessum est, quod, si quis habitatorum terre illius aliquod forisfactum fecerit, quod seculari jure pecunia debeat multari, quantamcunque summam jus requirat, non capietur ex eo ultra V solidos; excepto raptu, et homicidio quod vulgo multrum vocatur. Pepigerunt etiam nobis utrique prenominati viri, Petrus scilicet et Droiensis, quod, si quis nobis vel successoribus nostris, de hoc dono quod ecclesie nostre fecerunt, aliquam calumpniam vel contradictionem facere temptaverit, ipsi secundum justicie rationem tutores et defensores existent; et hoc fide sua firmaverunt. Concesserunt hoc uxor ejusdem Droiensis Maria, et Odelina, mater Petri majoris, et Ebrardus, frater ejus, canonicus sancte Crucis, et alius frater ejus Johannes, qui et Paganus vocabatur, et Eremburgis, soror ejus, que et Britanna dicebatur, et Elisabet, uxor ejus. Videntibus, ex eorum parte : Pagano, clerico de Vitriaco; Bartholomeo majore, Rainaldo Garini, [Radulfo de Ade Alena; Garnaldo, filiastro Droiensis]. Ex parte autem nostra : Zacaria, decano sancti Petri Puellaris; Jacobo subdecano, et Herveo, cantore sancti Aniani; Garino de Sub Ulmis, Bartholomeo capicerio, [Johanne archidiacono, Odone de Vi, Fuchone de Ante Donum, Adelardo de sancta Columba; Gisleberto, filio Laurentii] [1]. »

XLII.

De terra de Fenilet nobis ab Alberto Rufo communicata.

« Scripti hujus testimonio, tam posterorum quam presentium omnium noticie tradimus et memorie commendamus, quod Albertus Rufus, in capitulum nostrum veniens, medietatem terre illius, quam apud Fenilet habebat, nobis, monachis videlicet sancti Petri, in ele-

[1] Quæ uncis includuntur descripsimus ex apographo D. Muley, qui archetypum instrumentum in promptu habuit.

mosinam dedit, et donum, coram multis testibus quorum nomina subscripta sunt, super altare posuit; omnes hospites, cum hospiciis suis et agripennis, nobis proprios possidendos concedens, et totam ipsorum hospitum justiciam nobis in perpetuum relinquens; hoc tantum sibi retento, quod hospitem unum duorum denariorum census de nobis tenebit; et, si quis hospitum de terra communi aliquid forisfecerit, nos emendationis forisfacti medietatem unam et ille alteram habebit. Quod videlicet donum Paganus de Bosco, eoquod ipsam terram predicto Alberto, genero suo, cum filia sua in sponsalicium dederat, presens concessit, et adversus omnium calumpniam se defensurum promisit. Testium nomina : Burdo de Sorenci, Mascelinus cocus, Gaufridus Grinetus, Radulfus villanus, Gislebertus sacrista; Robertus, filius Gilduini. »

XLIII.

De VIII arpennis terre apud Tornesiacum a Rainaldo, filio Garini, nobis ad hospitandum datis.

« Omnibus cyrographum istud legentibus notum sit, quod Rainaldus Garini tenebat olim XVIII arpennos terre apud Tornesiacum, de capitulo nostro monacorum sancti Petri Carnoti, sub manu firma, videlicet XVIII denarios census annuatim in Cathedra sancti Petri vel infra octabas reddendo. Horum autem XVIII arpennorum, VIII erant hospitati; quos idem Rainaldus, cum omnibus hospiciis que in eis erant, et cum tota justicia, ecclesie nostre in elemosinam dedit; solam medietatem reddituum sibi retinens, hoc est oblivionum illarum que sunt avena et panis, denarius et chapo, illorumque exituum qui de justicia exeunt; que quidem justicia nostri juris est sive exigenda sive remittenda. Sed, sicut dictum est, quicquid de ea exierit, commune nobis et predicto datori erit. Qui scilicet dator etiam alios X arpennos, si quando, ipso hoc volente, hospitati fuerint, nobis eadem lege qua et VIII concessit; suo tamen hospitio, quod in eisdem X liberum habebat, ab omni consuetudine libero retento. Cui videlicet datori XXVI arpennos alterius terre ab omni consuetudine, preter campi-

partem, liberos in eodem capitulo nostro concessimus. Testes : Gesbertus Cospel, Ascelinus Mulnerius, Arnulfus sacristes, Matheus et Robertus. »

XLIV.

De VI solidis et VI denariis census Aurelianensis, in parrochia sancti Michaelis, nobis a Gunherio et Arnulfo Guiter datis.

« .... Notum fieri certumque volumus, quoniam adholescens quidam, Guherius nomine, filius Hugonis qui agnominatus est de Patai, ad monachatum in hoc monasterio nostro veniens, dedit nobis VI solidos VI denarios et obolum census, quem sibi patruus suus, Gaufridus de Patai, dederat apud civitatem Aurelianensem. Postea vero quam adholescens idem monachus factus est, frater suus, Arnulfus nomine, una cum matre sua in capitulum nostrum venit, censumque jam dictum ambo nobis et ipsi dederunt, et donum quod Guherius fecerat, iterum dando, confirmarunt. Videntibus : ex suis, Girardo et Odone, quos secum adduxerant; ex nostris autem, Arnulfo sacrista, Christiano coco, Roberto filio Gilduini, et aliis pluribus. Est autem census iste in jam dicta Aurelianensi civitate, in parrochia sancti Michaelis, inter eandem ecclesiam et portam que Parisiensis appellatur; ubi, missis duobus ex monachis nostris, de eo investiti sumus, presentibus et videntibus Mansello, filio Johannis, cum filiis suis Johanne et Pagano. »

XLV.

Cyrographum inter nos et canonicos sancti Petri Puellaris, de Tornesiaco et Sorentio continens conventiones.

Anno 1111. [1] Omnium sancte christiane religionis curam gerentium memoria teneatur, quod canonici sancti Petri Puellaris, assensu Johannis, Aurelianensis episcopi, Widonis etiam camerarii, qui abbatiam sancti Petri Puellaris a predicto episcopo tenet, et ejus uxoris Adeleidis et

[1] Hic, discedentes a Codice, qui hujus chartæ epitomen solummodo exhibet, apographum D. Muley, ex archetypo descriptum, edendum curavimus.

Johannis, ejusdem sancti Petri decani, concesserunt et dederunt monachis sancti Petri Carnotensis totam terram arabilem de Tornesiaco et Sorenciaco, et de mansionalibus omnibus ad ista pertinentibus, ad arandum seu excolendum; tali pacto et tali conventione, ut totum terragium ejusdem terre seu redditus alios, scilicet dona, premissas, servitia, venditiones, cum ipsis equaliter partiantur; et canonicorum partem terragii monachi in claustrum sancti Petri Puellaris adportari faciant singulis annis, et canonici unicuique quadrige, ad victum, denarium unum dabunt. Nec cuiquam predictam terram arare aut excolere liceat, nisi monachis aut quibus ipsi jusserint, quandiu ipsi illam aut excoluerint aut excoli fecerint. Si autem negligentia seu importunitate sive inopia, monachi illam excolere cessaverint, canonici, si voluerint, aut excolent aut excoli facient, et omnes terre redditus habebunt. Quod si, guerra imminente, monachi illam excolere cessaverint et canonici eam aut excoluerint aut excoli fecerint, monachi cum ipsis terragium totum, cum supradictis redditibus, cum eis equaliter partientur. Sed, postquam transierit guerra, monachi ad primam suam conventionem revertentur; id est, quod ipsi arabunt et excolent aut quibus ipsi jusserint, et terragium et ceteros jam dictos redditus cum canonicis equaliter partientur, et terragii partem canonicorum ad predictum locum adportari facient, et canonici singulis quadrigis singulos, ad victum, denarios dabunt. Leguminum quoque medietatem habebit decanus, et monachi aliam; et decano suam partem monachi adportari facient Aurelianis, et ipse, de quadrigis singulis, singulos denarios dabit. Si unum custodem ad custodiendum terragium et monachis et canonicis ponere placuerit, de communi vivet, et monachis et canonicis fidelitatem faciet, et decano de sua parte leguminis; quod si duos, id est monachi suum et canonici suum, quisque suum de suo procurabit, et uterque canonicis et monachis fidelitatem faciet, et decano de sua parte leguminis. Major terre communis erit. Et si quid de terra sive de hominibus deperditum est et adquiri sine pecunia poterit, adquisitum equaliter partientur; si vero sine pecunia adquiri deperditum non poterit, canonici monachos vel monachi canonicos de pecunia ponenda se monebunt; et, si inter eos

convenerit ut ponant, adquisitum equaliter[1] positam pecuniam equaliter partientur. Quod[2] sive canonicis sive monachis facultas pecuniam ponendi non fuerit, alterutrum compatientur, donec aut per pecuniam aut alio quoquo modo rehabere possint. De capella que modo dicitur Osanne, tale pactum est : quod, si canonici et monachi per canonicorum privilegium adquirere eam potuerint, communis erit; si autem per privilegium canonicorum adquiri nequiverit, et per se illam monachi adquisierint, propria monachorum erit. Granea de communi fiet et reficietur, et erit communis. Preterea inter predictos beati Petri Puellaris canonicos et monachos statutum est et ab utrisque concessum, ut census, qui pro terra de Nigleboldo, decem scilicet solidorum, canonicis illis ab eisdem monachis, singulis annis in festo beati Petri in februario, solvebatur, deinceps imperpetuum, in festo beati Petri, intrante augusto, canonicis annuatim a monachis Carnotensibus reddatur. Lecta et concessa ab omnibus canonicis sancti Petri, in presentia domni Johannis, Aurelianensis episcopi, et tradita decano sancti Petri Johanni, jussu et concessione predictorum canonicorum, ad custodiendum; quorum nomina hec sunt : Johannes decanus, *etc*.

XLVI.

Quomodo Gaufridus, Carnotensis episcopus, redditam sibi ab Odone Rufo medietatem capelle Osane ecclesie nostre donavit.

Anno 1118. Charta qua Gaufridus de Leugis, Carnotensis episcopus, dat monasterio sancti Petri dimidiam partem capelle Osane[3].

XLVII.

De consuetudinibus agricolis de Tornesiaco impositis.

1108-1129. « Regnante Ludovico, Philippi regis filio, domno Guillelmo, Majoris Monasterii monacho, sancti Petri Carnoti abbate, Gilbertus, ipsius monasterii monachus et capicerius, emit terram de Tornesiaco.

[1] Suppl. *per*.
[2] Omiss. *si*.
[3] Vide inferius, c. XLVIII.

Hanc cum rusticis ad hospitandum traderet, tale eis consuetudinis onus, ipsis concedentibus, imposuit : scilicet, ut de agripenno darent II^os sextarios avene et duos denarios et duos capones, vel duas bonas gallinas si capones non haberent, et duos panes; et corveias terre facerent de animalibus suis in martio et ad garedta et resecanda et ad cooperiendum. De bove dabunt IIII denarios de pastu; obliviones et terragium quo voluerit monachus, vel Castrum Duni vel Aurelianum, deferent. Et hec vidit Guillelmus, cognomine Burduns, et concessit qui major erat terre; et hoc viderunt et audierunt Gilbertus capicerius et Erchembaldus et Richardus de Niz. »

XLVIII.

Cyrographum inter nos et Odonem Rufum, continens donationem capelle Osane et conventiones de terris ab ipso datis inter nos et ipsum determinatas.

« Omnibus notum sit christianis, quod, tercio episcopatus Gaufridi de Leugis anno, veni ego Odo Rufus Carnotum, in capitulum sancti Petri, ibique illam dimidiam partem quam in capella Osanne tenebam, que est in pago Dunensi, prefato guerpivi episcopo in manu Gauslini Dunensis archidiaconi, qui pro hoc ipso in capitulum sancti Petri jussus ab episcopo venerat. Isdem vero archidiaconus, mox ut ecclesiam de manu mea accepit, sancto Petro eam, jussu episcopi, dedit, domnumque Guillelmum abbatem sancti Petri ibidem inde vestivit, me presente, volente et concedente. Postea vero venit mihi in cor, ut adhuc sancto Petro aliquid de meo darem. Dedi igitur beato Petro eique servientibus monachis medietatem omnium que circa capellam habebam ad eam pertinentium; videlicet terrarum, fevorum, decime et campipartis. Atrium vero, quam magnum unquam fuerat vel esse debet, proprium eis et absque parte mei, similiter et agripennos, quam plures villa antiquitus habuit, proprios et sine ulla mecum communitate concessi; ita ut neque ego neque heres meus aliquid unquam in agripennis vel in atrio cujusquam consuetudinis habeat. Hoc mihi tantum retinui, quod in atrio faciet unus de servientibus meis domum ad habitandum. Granchiam quoque in atrio communiter ego et mo-

Anno 1118

nachi faciemus, cui duo servientes, ad colligendum et custodiendum decimam et campipartem messis tempore, preerunt, unus meus, alter monachorum; ita quod et meus faciet monachis fidelitatem, et monachorum mihi. Habebuntque duo duas granchie claves, ut neque serviens monachorum sine meo, neque meus sine monachorum famulo intrare in granchiam possit. Si tamen aliquando visum fuerit nobis ut unus scilicet tantum custos ibi habeatur, prout utile nobis inter me et monachos judicabimus, fieri licebit. Feva etiam militum, que ibi sunt ad me pertinentia, concessi monachis, si milites illis dare voluerint ea. Si vero aliquis militum fevum suum eis vendere voluerit, nuntiabunt mihi monachi; et, si ego medietatem precii dare voluero, erit commune inter me et monachos fevum, sicut et alie terre; si vero noluero, totum, si emerint, habebunt monachi proprium. Similiter, si quis mihi militum fevum suum vendere voluerit, nunciabo monachis; et, si dimidium precium dederint, erit, sicut dictum est, commune; si vero noluerint, meum, si emero, erit proprium. Hoc donum, sicut est expositum et divisum, fecimus ego Odo Rufus et duo filii mei mecum Raderannus et Eustachius, et uxor mea, et concessimus ante altare sancti Leobini de Castro Duni. Ego vero et filii mei predicti super ipsum altare juravimus, ipsum donum, sicut divisum est, nos conservaturos et contra omnem calumpniam, si qua forte emerserit, per justiciam ubicunque opus fuerit, defensuros, uxore mea idipsum fide firmante. Robertus etiam de Menbrerolis et fratres ejus, nepotes mei, de quibus tenebam quicquid ad capellam habebam, donum ibidem concesserunt; Roberto, qui major erat quique terram patris sui tenebat, per fidem suam pollicente se donum monachis conservaturum, et contra omnes homines, si opus fuerit, excepto comite, per justiciam defensurum. Hujusmodi etiam concordia de Turneisiaco et de predicta capella ibidem divisa est, concessa atque firmata. Convenit enim inter me et monachos ut facerent ecclesiam Torneisiaco, cujus presbiter omnes minutas decimas, preter agnorum et lane, habeat; relique vero decime, annone scilicet, agnorum et lane, communes erunt inter monachum de Torneisiaco et prefatam capellam. Monachus tamen de Torneisiaco, neque de domo sua neque de aratro

suo, decimas dabit alicui. Hec conventio, sicut supra dixi, concessa est et firmata a me et ab uxore mea et a filiis meis predictis et a nepotibus meis; a me quidem et a filiis meis jurejurando, ab uxore mea et a Roberto nepote meo per fidem. His omnibus interfuerunt : ex parte mea, uxor et duo filii mei Radrannus et Eustachius, Gaufridus de Alodo, Robertus de Menbrerolis; Guillelmus et Gervasius, fratres ejus; Grao Cauda Hirundinis; Ascelinus, frater ejus; Paganus Diabolicus. Ex parte monachorum : Raginaldus de Espières, Engelardus Ridel, Lambertus Partiens Predam, Girardus Raso, Fromundus prepositus. Idipsum concessit postea, in capitulo sancti Petri, uxor Roberti de Menbrerolis et duo fratres Roberti, milites. Cum ipsis erat quidam miles Robertus de Veteri Alona. Ex parte monachorum affuerunt : Rogerius cocus, Julduinus cocus; Ivo, cocus decani; Paganus, major sancti Martini. Apud Aurelianum hoc idem concesserunt reliqui filii et filia predicti Odonis, Erchembaldus, Fulco, Malbertus, Petrus, Gaufridus, Petrus, Rotrudis. Videntibus et audientibus his : ex parte monachorum, Drocensis miles, Odo de Vi, Gaufridus de Alodo, Willelmus Irabec, Radulfus Filiolus, Gaufridus; Petrus, filius Odonis; Droco, David, Gislebertus, Petrus, Burdo major, Paganus serviens. Ex parte vero Odonis : Adelinus fullo, Robertus fullo; Rainardus, Roaldus clerici. »

XLIX.

Cyrographum conventiones inter nos et majorem Emonis Ville continens [1].

« .... Propterea nos sancti Petri Carnoti videlicet monachi, experimento transacte molestie ammoniti, nostre in posterum posterorumque nostrorum paci providentes et quieti, quomodo quedam, que inter nos et filios Gauterii majoris, Symonem atque Herbertum de Emonis

[1] Hujus chartæ duo exstant in cod. apographa, unum f° 42 v°, ad cujus fidem instrumentum hic edimus; alterum, in quibusdam partibus mendosum, f° 10 v°, ex quo quædam solummodo testium nomina, illa videlicet quæ uncis inclusa sunt, deprompsimus. Huic exemplari titulus : *Cyrographum determinationem feodi majoris Hemonis Ville, simulque calumpniam pro eodem feodo dimissam continens.*

Villa, emerserat, contentio terminata sit, litteris istis omnibus quibus oportuerit fidelibus volumus insinuari, eandemque terminationem presenti cyrographo inter nos et predictos homines perpetuo confirmari. Idem itaque Simon atque Herbertus in capitulum nostrum venientes, primo, que sui juris feodaliter se in granchia ibidem nostra habere debere calumpniabantur, ex integro dimiserunt perpetuoque ecclesie quieta clamaverunt : hoc est, medietatem totius straminis seu farraginis atque pillonis; locationem quoque decimatoris et trituratoris; designationem etiam sepulture in cimiterio faciende; unam preterea bovatam terre quam similiter calumpniabantur; et quod de nostra dominica terra nichil ultra nec sub villanagio excolerent. Hec omnia que, sicut dictum est, sui juris feodaliter esse debere predicti calumpniatores causabantur, cum primo ecclesie nostre omnino, ut dictum est, quieta clamavissent ac penitus reliquissent immunia, nos vicissim illis ea que subter annotata sunt, communi omnes assensu, in eodem capitulo feodaliter concessimus : hoc est XX[ti] avene sextarios, recta et per eandem Hemonis Villam currente mina mensuratos ad cumulum, in nostra ibidem grangia annuatim capiendos; unam tantum bovatam terre in feodum, et ipsam ab omni villanagii consuetudine liberam; quartam etiam partem pastuum, etiamsi terra de qua pastus reddi solebant a nobis ipsis excolatur; in singulis quoque illis que ter in anno fiunt panum redditionibus, singulos panes; et de decima agnorum, etiam singulos cum singulis denariis agnos; et de decima vellerum, similiter; ita ut in his et panum et agnorum et vellerum redditibus requirendis, ipsi ex debito adjutores et cooperatores existant, proque hujus functione officii supra determinatam mercedem recipiant. Hec omnia ita ambobus prefatis hominibus a nobis sunt pacta, ut, si forte is qui nunc jure primogeniti tenet, vel Iherusolimam eundo vel etiam moriendo, ante Herbertum decesserit, eundem feodum Herbertus idem a capitulo nostro relevare non cogatur. Hoc quoque sciendum, quia de domo sua VIII denarios census annuatim nobis sepe nominati fratres persolvere promiserunt. Preterea, datis super sanctorum reliquias districtis sollennibusque sacramentis, fidelitatem et justicie subjectionem ecclesie nostre ambo juraverunt, et quod domus nostre damp-

num, nec faciendo nec consentiendo, quererent, quodque in omnibus, quantum, salva justicia et sine suorum expensa, valerent, nobis adjutores et ad conquirenda recta nostra pro viribus cooperatores existerent, sub eodem jurejurando spoponderunt. His omnibus interfuere quorum nomina subscripta sunt testes : Rogerius Marescot, Gisbertulus, Belinus, Fulchaudus faber, Stephanus clausarius, [Floherius, Rainardus Aventii, Gerbertus Choispel, Mascelinus cocus, Richerius tanator]. Ex parte illorum : Garinus Alvesgoti; Girardus, frater ejus; Willelmus de Poncellis, Girardus, Gaufridus de Challoel. »

L.

Cyrographum inter nos et Herveum de Rua Nova et Gunherium de Sancto Avito, continens conventiones de terra apud Raram Villam ab ipsis data.

« .... Notum igitur esse volumus tam futuris quam et instantibus, quia Herveus de Rua Nova et Gunherius de sancto Avito, animarum suarum utilitati providentes, sancti Petri Carnotensis monachos humiliter adierunt, eisque, in loco qui dicitur Rara Villa, de terra sua XXX[ta] agripennos solutos et quietos in elemosina concesserunt; ita scilicet, ut monachus qui eidem loco preerit, quoscunque ibi hospitari voluerit recipiat, et omnes redditus supradicte ville et justicias extra partem eorum habeat. Si autem, in terra que deforis est, homines sancti Petri aliquid ibidem manentes forisfactum fecerint, illorum forisfactorum justicia in manu monachi erit; ita siquidem, ut, si LX solidorum forisfactum fuerit, ut XV sol. monacho condonare licebit absque illorum consilio; ex quibus X sol. supradictis militibus equaliter distribuentur, monachus sibi V retinebit. Si vero V sol. forisfactum fuerit, similiter usque ad tres sol. monachus, si voluerit, condonabit; ex quibus duo sol. supradictis militibus equaliter distribuentur, XII vero nummos monachus sibi retinebit. Ac si forte de incendio vel de rapina vel de similibus forisfactum extiterit, absque predictorum militum consilio monachus nichil condonabit. Quod si aliquis extraneus aliquid ibidem forisfecerit, ejusdem forisfacti justicia monachi et militum erit, nec inde quicquam monacho absque militum consilio

condonare licebit. Campipartem terre que deforis est intra granchiam suam monachus adduci faciet, cujus duas partes supradicti milites equaliter habebunt, terciam monachus sibi recipiet. Partes illorum ejusdem terre cultores ad civitatem Aurelianis usque perducent; unusquisque autem cultorum aut prandium aut denarium accipiet. Campipartitorem quem voluerit monachus ponet, qui etiam coram supradictis dominis singulis annis fidelitatem faciet. Granchiam prius a monacho factam, si aut renovari aut emendari oportuerit, de communi fiet. Prenominatis autem militibus ad granchiam et campipartem custodiendam servientem suum mittere licebit; sed de rebus monachorum vel hospitum suorum, nisi sponte sua sibi dederint, se minime procurabit qui cum campartitore monachorum ad campipartem capiendam ibit; ita tamen, quod inde eum campipartitor minime semonuerit..... Largitionem istam Herveus et Gonherius, Radulfus Rainardi et Odo, filius Pagani, et Tescelinus de Trino, ejusdem avunculus, firmiter se tenere et garentire per fidem plevierunt. Si quis etiam deinceps aliquid in eadem terra mali fecerit, nullus eorum pacem aut concordiam cum eo, nisi per monachi licentiam, habebit. Ex parte monachorum : Odo de Geminni; Maurinus, frater ejus; Hugo de Caan, Odo de vi; Stephanus, famulus monachorum. Ex parte militum : Goffridus de Saran, Hugo de Reed, Graulfus, Rainardus de Alodio, Hugo de Bosco; Boninus, famulus Hervei. »

LI.

Testes quod terra Villete a Gaufrido comite fuerit reddita.

1052-1065. « Hii sunt testes de redditione terre Villete, quam reddit sancto Petro comes Gaufridus : Bartholomeus achiepiscopus[1]; Johannes, frater ejus, de Camone Castro; Teobaldus, comes Cabillensis[2]; Manasses de Villa Mori, Rainaldus de Castro Gunterii, Ivo Mala Corona. Ex nostris : Gilduinus major, Galterius clericus, Gaufridus Bigotus, Landricus major, Arnulfus niger. »

[1] Bartholomæus, archiep. Turonensis, dignitatem illam suscepit a. 1052, obiitque post a. 1067.

[2] Theobaldus comitatum Cabillonensem tenuit ab a. 1039 usque ad a. 1065.

LII.

Cyrographum inter nostrum et sancte Crucis Aurelianensis capitulum de decima de Niz.

« Quoniam rerum gestarum memoria litteris veracius et sine errore recolitur, utile duximus nos, scilicet capitulum sancte Crucis et abbas sancti Petri Carnotensis, pactum societatis, que inter nos in capitulo nostro ab omnibus concessa est, litterarum memorie commendare. Notum sit igitur successoribus utriusque partis, quod abbas sancti Petri Carnotensis Willelmus sepius nos adierit, rogans ut medietatem decimarum terre, quam terram ecclesie sue dederat rex apud Niz [1], quas decimas juris ecclesie nostre manifestum est esse, ipsi ecclesie sue concederemus. Cujus petitioni non statim adquievimus; sed tandem, considerantes quod multis expensis et magno labore terram illam, que deserta fuerat, excoluissent, et quod pluribus donis potentes vicinorum castellorum eis paccare conveniat; et insuper intelligentes quod per eos ipse decime fidelius exigentur et servabuntur, peticioni eorum tali pacto adquievimus, ut ipsi ecclesiam que ibi facienda erat de suo facerent, et nos medietatem reddituum haberemus; et si sacerdos ibi ponendus esset, per prepositum nostrum et per monachum obedientiarium, prius nobis, deinde illis presentaretur, neque absque utrorumque consensu ibi constitueretur. Similiter et graneam in qua decima colligenda fuerit ipsi de suo facerent; decimarius vero, qui decimam ad graneam deferre deberet, a nobis et ab illis ponendus esset, et utrisque fidelitatem faceret. Quod si duo ponendi essent, ipsi unum et nos alterum poneremus; et suus nobis et noster illis fidelitatem faceret, quod fideliter decimam conservaret. Cum autem custodiende granee custodes ponentur, nos nostrum ponemus et de nostra parte conducemus, et ipsis monachis fidelitatem faciet; et si ipsi monachi servientem posuerint ad custodiam ipsius granee, nobis fidelitatem faciet. Si autem ipsi monachum ponere voluerint ad custodiam granee, faciant; nobis tamen per servientem unum fidelitatem

[1] Vide hujus donationis cartam inferius, c. LXVI, p. 460.

faciat. Et si nos canonicum nostrum ad custodiam granee ponere voluerimus, similiter per unum servientem monachis fidelitatem faciat. Postquam vero decima excussa fuerit, cum mina dividatur, et farragium similiter equaliter. Hoc pactum factum est in capitulo sancte Crucis in presentia domni Ludovici regis, anno regni sui III°, presente Johanne, Aurelianensi episcopo. Affuerunt etiam testes, ex parte canonicorum : Stephanus[1] decanus, Archembaldus subdecanus, Seguinus precentor, Buchardus archidiaconus, Gislebertus archidiaconus. Ex parte vero ecclesie sancti Petri Carnotensis : Willelmus abbas; Willelmus, prepositus ecclesie Carnotensis; Hugo prepositus; Hugo, archidiaconus Blesensis; Philippus, subdecanus sancti Aniani; Warinus capicerius; Salomon, canonicus sancte Marie. In conducendo presbitero canonici sancte Crucis nichil dabunt. »

LIII.

De terra de Ver a Symone, filio Girardi de Turre, data, et a Willelmo Ansoldi et omnibus capitalibus dominis concessa.

1119-1128. « Ad reprimendas improborum quorumque calumpnias, rerum gestarum scripto traditarum plurimum valere memoriam ipsi calumpniatores non ignorant. Quamobrem et qui modo sunt et qui futuri sunt omnibus notum volumus esse fidelibus, quia, eo tempore quo domnus Willelmus abbas huic monasterio presidebat, adholescens quidam, nomine Symon, filius Girardi de Turre, hoc ipsum a progenitoribus suis agnomen retinens, cum esset in palacio comitis Theobaldi, ab ipso milicie usui recens mancipatus, in hac scilicet Carnotensi urbe, gravissimo quodam et incurabili langore correptus, et per dies plurimos in domo cujusdam sororii sui, sororis enim sue mariti, hujus scilicet convicanei nostri Willelmi, filii Ansoldi, lecto decubans et desperabiliter egrotans detentus est. Cumque diuturno

[1] Stephanus de Garlanda, Guillelmi de Garlanda Franciæ dapiferi quartus filius, decanus Aurelianensis, Parisiensis archidiaconus, regis Ludovici VI cancellarius, dapifer, privatissimusque consiliarius, cujus magnæ partes fuerunt in regno Franciæ administrando. De quo vid. *Gall. Christ.*, t. VIII, col. 1501 sqq.

jam nimis esset langore tabefactus, ad monachatus succursum, in hoc nostrum sancti Petri Carnoti scilicet monasterium, confugit, et quandam terram, quam hereditario jure apud Ver habebat, in feodo episcopi Carnotensis et Sancionis de Feritate et Nivelonis filiique sui Ursonis, qui eam de alterutro feodaliter tenebant, totam huic ecclesie, pro anime sue salute, in elemosinam dedit. At, cum predictus sororius ejus Willelmus Ansoldi hanc sororii sui elemosinam nulla vellet ratione concedere, ipsius comitis, qui tunc forte aderat, Theobaldi atque totius domus sue majoris Andree de Baldimento, ejusdem Symonis cognati, precatu atque consilio, ejusdem terre medietatem, ut reliquam firmiter et quiete habere possemus, eidem Willelmo dimisimus. Huic autem donationi tam ipse comes Theobaldus et senescallus ejus prefatus Andreas de Baldimento, quam innumeri ejus barones et fere omnes ejusdem Symonis commilitones interfuere. Transacto deinde duorum annorum spacio, apud predictos capitales dominos, ut defuncti elemosinam suo nobis concessu confirmarent, grandi ere dato, obtinuimus, et episcopus quidem tunc Gaufridus de Leugis hoc libentissime, pluribus audientibus, concessit. Porro Nivelo et filius ejus Urso, non modico ere accepto, et cum eis Willelmus Ansoldi, die statuta in capitulum nostrum convenerunt, et, presente Andrea de Baldimento, defuncti donum concedentes coram subscriptis testibus confirmaverunt; hoc etiam Willelmo promittente, ut hoc et uxorem suam, predicti, ut dictum, Symonis sororem, et filios parvulos, quos jam ex ea genuerat, oportuno tempore concedere faceret. Testes : Andreas de Baldimento; abbas sancti Johannis, tunc Stephanus [1]; Angerius et Salomon, archidiac. sancte Marie; Willelmus Moignart, Herveus de Galardone, Ansoldus Godescalli, Willelmus Aculeus, Barbo, Willelmus, Ansoldus Rogerii, Alcherius Adalonis, Teobaldus Claron, Adelardus Rufus, Gaufridus monetarius, Richerius de Sancto Albino, Ivo de Porta Morardi, Clerzon, Willelmus telonearius, Rainaldus de Sezania, Teobaldus de Orliaco, Gauterius de Treleveisin; Stephanus, urbis prefectus; Leodegarius et Willelmus fratres, Ernaldus de No-

[1] Filius Guerrici, vicedomini Carnotensis. Memoratur in instrumentis ab a. 1113 usque ad a. 1128.

gent, Robertus major, Rainardus et Gaufridus Aventii, Ivo de Baignolis; Robertus et Johannes, clausarii nostri. His omnibus et plurimis aliis testibus audientibus, testatus est supranominatus Andreas de Baldimento, omnes alios Symonis propinquos hoc propinqui sui beneficium libenter concessisse, a cujus attestatione Rainaldus de Sezania nequaquam dissensit. Subscripti quoque testes audierunt quoniam supranominatus Santio de Feritate, agente quodam monacho nostro Rogerio, Blesim ad hoc misso, in capitulo sancti Launomari, hanc eandem elemosinam concessit, presente et presidente in eodem capitulo tunc abbate Petro [1], et considentibus Rainaldo priore et precentore Rainaldo, totoque pleno monachis capitulo. De servientibus monacorum affuerunt : Robertus de Fagia, Odo major; Bernardus, filius ejus; Bartholomeus clausarius, Morinus justarius, Herveus piscator. De nostris quoque servientibus, Odo, filius Leogarii; Robertus de Morvilla; Haimericus, filius ejus; cum Santione fuerunt : Henricus de Vienna, Barbasorus, Girbertus de Vienna, Aigulfus, Gaudinus de Aurelianis, Petrus Bisol, Humbaldus Rufus. His ita peractis, Willelmus Ansoldi, post non multum temporis, una cum uxore sua Ysabel, et IIII^{or} quos de ipsa genuerat filiis de utroque sexu binis, quorum hec sunt nomina, Ansoldus et Willelmus, Agnes et Maria; cum his, inquam, in capitulum nostrum venit, et, sicut eum supra promisisse diximus, prior ipse concedens, uxorem et filios suos, et ipsum sororii sui beneficium concedere fecit. Non solum autem hoc, sed et quicquid, tam de suo quam conjugis sue patrimonio, hec ecclesia nostra eatenus habebat, cum uxore sua et filiis concessit. Similiter et Garinus, filius Odonis de Alonia, quicquid de patrimonio suo possidebamus concessit. Testes : Gauterius, Angerius archidiac.; Hugo de Levis, Guillelmus Moignart, Hugo de Besvilla, Gaufridus de Blesis, Gauterius de Bona Valle, Teardus de Ver, Beringerius mercator, Harduinus Richerii, Ansoldus Rogerii, Hugo de Vindocino, Robertus Stephani, Barbo, Hubertus Balduini; Alcherius Adalonis, cum Hernaldo fratre suo; Bonicius Floherius, Hugo, Rainardus Aventii, Petrus hospitularius, Odo de

[1] Petrus de Firmitate Huberti nuncupatur abbas sancti Launomari a. 1119 in tabulis hujus monasterii.

Lavardin, Garinus, Rainerius, Ivo de Porta Morardi, Odo de Alonia, Gaufridus Ivonis, Robertus de Ver. »

LIV.

De calumpniis a Girardo seneschallo et Nivelone, filio Fulcherii, factis in terram nostram de Ver, que dicitur Mareis, et depulsis.

« Ad removendam contentiose ambiguitatis controversiam, ego Guil- 1101-1115.
lelmus, abbas sancti Petri, scripto presenti volo transmittere ad nobis succedentium noticiam, qualiter illam calumpniam, quam Girardus seneschallus, in quadam terra nostra, que est apud Vernum, falso immiserat, penitus removimus. Landricus enim abbas, predecessor meus, et predictus Girardus, longius retroacto tempore, cum copioso hominum comitatu, super eandem terram, ad comprobandam antique divisionis certitudinem, convenerunt; cum quibus affuit quidam major sancti Petri, nomine Rainaldus de Marciaco, illius antique divisionis conscius, utpote precedentium fidelium certa relatione edoctus. Omnibus indubitanter patefecit qua directione ipsa divisio debebat progredi, et hoc ipsum, dato vadivanio[1], lege belli defendere paratus fuit. Girardus autem, causationi sue diffidens, nullam defensionis rationem opposuit. Evoluto autem tempore prolixo, Girardus, filius prescripti Girardi, cepit nos ob eandem calumpniam infestare; unde ad rectitudinem justicie, in curia christianitatis ante Ivonem episcopum, a nobis invitatus, venire non distulit. Ubi, nobis et Girardo singulas causas prosequentibus, judicii sententia hujusmodi est prolata : scilicet, ut nos per tres idoneos testes probaremus jam dictum majorem sancti Petri, nomine Rainardum, certitudinem divisionis veraciter demonstrasse, et ad hoc comprobandum, sicut supra docuimus, presto fuisse. Nos igitur, nostre rectitudinis conscii, per istos tres legitimos viros, videlicet per Vitalem et Robertum fratres, filios Ogerii, atque Fulcoium, probavimus memoratum superius sancti Petri[2] metas divisionis habite ostendisse, et ad hanc probandam paratum fuisse, et

[1] Corrig. *vadimonio*.

[2] Omissum *majorem*.

Girardum defecisse. Hoc se vidisse et audisse sacramento firmaverunt isti prenominati testes, et ita hujus calumpnie infestationem ex toto extinxisse, assistentibus subscriptis testibus. Ex parte enim nostra : Ivo episcopus, Fulco archidiaconus, Ilbertus canonicus, Harduinus; Albertus, frater ejus; Huboldus, Lamberti filius; Adelardus, Willelmus Talevat, Willelmus Quadratus, Robertus Sabellus, Durandus Marutus, Fulcoinus; Robertus, filius Ogerii, et Vitalis, frater ejus, isti tres qui sacramentum fecerunt; Gerogius, Salomon, Adventius, Arroldus, Alo, Hugo Bos, Germundus de Sancto Albino, Gauterius senescallus, Rispaldus; Hugo, Guinemari filius; Gaufridus, Ivonis filius. Ex parte Girardi : Henricus, avunculus ejus; Theobaldus, Stephani filius; Gunherius de Alneto, Hubertus major, Robertus major, Bernardus, Girvardus Versutus. Hac itaque extincta calumpnia, gravior calumpnie infestatio adversum nos de eodem est orta. Nam Nevelo terram superius memoratam cepit calumpniari, nosque arcere, ne in eadem aliquid videremur edificare. Qui demum, a nobis ad equitatem justicie invitatus, quia sibi diffidebat, venire recusavit. Qui tandem, ratione veritatis perspecta, sue tortitudinis immanitatem ante mentis oculos statuens, venerunt in nostrum capitulum ipse Nevelo et filius ejus Urso, de premissa infestatione satisfacientes, hanc calumpniam ex toto in perpetuum, acceptis a nobis C denariorum solidis, in presentia auditorum qui hic subscripti tenentur, unanimiter dimiserunt. Ex parte nostra : Ivo episcopus, Willelmus et Fulcho archidiaconi; Ilbertus, Raimbaldus canonici; Adventius, Gaufridus cocus; Rainaldus, nepos ejus; Radulfus, Dodo pelliterius, Odo pistor, Odo de Gisiaco, Frotlandus, Durandus pistor, Gosbertus, Christianus, Doardus, Gilduinus, Ingilbertus de Domna Maria, Joscelinus. Ex parte Nevelonis : ipse et filii ejus, Haimericus de Merliaco; Burgunnellus, Girardus, fratres ejus; Robertus Aculeus; Hugo, filius Godescaldi; Hubertus de Ruineto; Robertus, major de Ver; Erardus, Odo major. »

LV.

De terra a Garino de Alneto et Gunherio filio ejus reddita.

« Memoriam succedentium innovet presens descriptio, quod Garinus de Alneto illam terram, quam in suis usibus diutius usurpaverat, humiliter satisfaciens, annuente Gunherio fratre suo, sancto Petro reddidit. His presentibus : Gunherio, fratre ejus; Pagano Chanardo, Gaufrido coco, Beringerio; Roberto, filio ejus; Dodone pelliterio, Odone de Gisiaco. »

LVI.

De terra apud Viletam Bernardo de Remalast ad vitam suam prestita, et post, cum omni melioratione sua, ad nos reversura.

« Ego Guillelmus, abbas sancti Petri, presentium posterorumque 1101-1129.
memorie hac scriptura commendo, quod quidam amicus noster, Bernardus scilicet de Remalast, filius Ivonis de Remalast et canonicus sancte Marie, petivit a nobis, per quosdam fratrum nostrorum, ut daremus ei quandam terrulam quam habebamus apud Villetam, et operaretur in eam, et faceret ibi domum in qua haberet animalia, et, post mortem ejus, reverteretur terra ad nos cum eo semine quod in ea seminatum esset, et domo et animalibus que in ea essent. Quod cum in capitulo dixissem fratribus qui tunc aderant, placuit eis, et laudaverunt ut, sicut ipse diffiniverat, daretur ei. Venit ergo predictus Bernardus in capitulum, et, cum eo, Guido de Sancto Martino et Burgundio de Novigento; et, consilio fratrum qui tunc aderant, dedi ei terram quam petebat, eo modo quo ipse petebat. Hujus rei testes sunt : ex parte ipsius, Guido et Burgundio; ex parte nostra, Gaufridus, Gauterius, Juduinus coci; Belinus, Robertus mariscallus, Gosbertus fossarius, Urricus, Albertus; Teobaldus, filius Brunonis. »

LVII.

Quod Hugo, vicecomes Puteacensis, omnes malas consuetudines in terra nostra de Belsia usurpatas abjuraverit.

1101-1106. « In nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Willelmus, Carnotensis cenobii abbas, scriptum hoc successoribus nostris relinquo de dimissione injustarum consuetudinum quas vicecomes de Puteolo solebat habere in terra nostra de Belsia. Certum sit igitur omni tempore fratribus hujus monasterii, quod Hugo[1] vicecomes, filius Ebrardi de Puteolo, noviter cum exisset de carcere regis, venit in capitulum nostrum, ibique promisit Deo et nobis, per fidem suam in manu nostra, quod ab ea die, quicquid antea fecisset, custodiret terras nostras et a se, sicut regi juraverat, et ab omnibus malefactoribus a quibus posset, tanquam si essent sue proprie; ita tamen, ut, pro hac custodia, nullam consuetudinem vellet ponere in nostris terris, sed in ea libertate, qua regi juraverat, eas custodiret. Nos autem, pro carnalibus spiritualia reddentes, fecimus eum ibidem participem nostre fraternitatis; et promisimus ei quod nomen patris sui Ebrardi, ex quo faceret nos scire terminum obitus ejus, scriberetur in martirologio nostro, et singulis annis faceremus anniversarium ejus; ipsius quoque Hugonis nomen, post mortem suam, scriberemus, anniversariumque ejus faceremus. Hoc audierunt et viderunt : ex parte illius, Haimericus Chenardus et Hugo de Puteolo[2], qui et ipsi, eo precipiente, firmaverunt nobis per fidem suam, in manu Gaufridi monetarii, quod semper essent in consilio, ut quod nobis fideliter promiserat fideliter custodiret, et, si aliquando aliter facere vellet, dissuaderent ei quantum possent. Ex parte nostra, Osbertus, Gaufridus monetarius. »

[1] De quo supra, p. 319.

[2] Hugo junior, de quo vid. superius, p. 422

LVIII.

De terra apud Boesvillam a matre Jocelini de Mungervilla nobis data, et ab eodem Jocelino calumpniata prius et postmodum, cum Willelmo filio suo, concessa.

« Mater Joscelini de Mungervilla habebat quandam terram Boesville, a priori viro suo, qui non fuit pater Joscelini, Radulfo nomine, sibi datam et relictam, ad cuicunque ipsa vellet dandum vel vendendum. Quam moriens dedit sancto Petro pro anima viri sui, qui sibi eam dederat, et sua, Joscelino tamen contradicente et calumpniante; unde factum est ut inde placitaret nobiscum; ubi judicatum est nichil ad eum pertinere de illa terra, eoquod non fuisset de patrimonio suo. Ille tamen, minime ob id ab injusta calumpnia cessans, multa mala pro ea fecit nobis; pro quibus cum excommunicatus esset. Tandem, volente Deo, penitentia ductus, venit nudis pedibus in capitulum nostrum, peccasse se confitens, seque injuste calumpniasse recognoscens. Cumque fecisset nobis rectum in manu Willelmi abbatis, eique rectum esset dimissum, dimisit injustam calumpniam super altare sancti Petri, donumque matris sue concessione sua firmavit. Hoc audierunt et viderunt, ex parte illius : Paganus, frater ejus, canonicus sancte Marie; Raimbaldus archidiaconus, Gaufridus monetarius, Isembardus de Albaribus. Ex parte nostra : Joscelinus minutor, Josbertus Cospel, Ansoldus clausarius, Arriveus de Cosentiis, Herbertus Curtus, Malparent, Arrodus mariscallus, Ricardus portarius; Rainardus, filius Aventii; Johannes cocus. Post aliquot autem dies venit filius ejus Willelmus in capitulum nostrum, ibique predictam calumpniam dimisit, sicut pater suus fecerat. Quod audierunt et viderunt, ex parte ipsius : Paganus, avunculus ejus, et Raimbaldus archidiaconus, Malparent. Ex nostra parte : Robertus major, Christianus pelliterius; Rainardus, filius Aventii; Odo, filius Gumbaldi; Rogerius, nepos Gaufridi coci; Ricardus portarius, Robertus marescallus, Belinus. » 1101-1129.

LIX.

De calumpnia in terra de Niz a Radulfo de Balgentiaco dimissa.

« Notum sit quod Radulfus de Balgentiaco, in capitulum nostrum veniens, calumpniam illam, quam erga nos monachos in terra de Niz reclamabat, in manu domni Guillelmi abbatis dimisit, et super altare sancti Petri posuit. Ex parte ipsius, affuerunt Carolus Balderan et Santio de Feritate; ex parte nostra, Ernaldus corvesarius, Petrus costurarius, Gislebertus marescallus, Garinus Durandi pistoris, Russellus, Teobaldus, Floherius. »

LX.

Quod discordia que erat inter nostrum et capitulum sancti Martini de Valle, de duabus familiis de Imprenvilla, ita sedata fuerit, ut filii Martini, Albertus et Gumbaldus, nobis remanserint.

Anno 1107. « Fuit aliquando discordia inter nos monachos sancti Petri et canonicos sancti Martini, propter duas familias servorum quas possidebamus apud Impregvillam. Dicebant enim canonici illas esse juris ecclesie sue; nos autem pluribus nitebamur rationibus, quibus nostri juris eas esse probare putabamus. Quia vero grave malum est esse inter duas ecclesias lites, nec ipsi nec nos ignorabamus, placuit eis et nobis, gloriosa comitissa Adala id precipiente, monente et laudante, et quibusdam aliis probis viris, qui nos et eos videbantur diligere, idem hortantibus et consiliantibus, ut, sine lite et placito, quatenus pax et dilectio incorrupta inter nos maneret, servos illos divideremus. Illa autem divisio sic disposita fuit, ut nobis duo fratres, filii Martini, qui sancti Petri homo fuerat, remanerent, Albertus et Gumbaldus; ipsi vero canonici reliquos de quibus querela fuerat possiderent. Hoc igitur ita factum est, et prius in capitulo sancti Martini a canonicis, demum in nostro capitulo a me tunc abbate Guillelmo et monachis nostris, in presentia comitisse Adale, assistentibus illis quorum nomina subscripta sunt, concessum et firmatum.... Actum itaque est hoc anno dominice incarnationis MCVII°, Ivone Carnotensium pre-

sule, Philippo regni Francorum sceptrum optinente, coram subscriptis testibus : Fulcone archidiacono; Willelmo, abbate sancti Saturnini; Joscelino, Ebrardo, Adelardo, Willelmo, Garino, Roberto, Erico; hii omnes canonici sancti Martini. Ibidem affuit Adala comitissa, et, cum ea, Eudo, filius Henrici comitis[1]; Hugo de Coonico, Stephanus Rufus, Gaufridus prepositus, Albertus medicus, Ansoldus Infans. Ex parte nostra : Adventius, Salomon; Robertus, filius Berengerii; Rainaldus, filius Arnulfi; Rainaldus cocus; Adsoldus, filius Stephani; Dodo pelliterius. »

LXI.

Quod Godefridus Silvestris in furno suo de Aurelianis duodecimum nummum et duodecimum panem, et in molendinis suis in Ligeri duodecimam minam nobis donavit.

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, amen. Ego Ludovicus, Dei gratia Francorum rex, notum fieri volo cunctis fidelibus, tam futuris quam et instantibus, quod furnum quendam, quem Johannes, filius Pagani, filii Morini, Aurelianis tenebat, et areas molendinorum, quas ipse, sub beati Laurentii monasterio, in Ligeri possidebat, et quicquid ibi habebat; et, ut plenius dicamus, omnes possessiones quas idem Johannes, ubicunque sint, die quo defunctus est habebat et tenebat, tam in vineis quam in domibus et in aliis quibuslibet edificiis, Godefrido Silvestri et heredibus suis libere et quiete, et jure perpetuo habenda et obtinenda, concedimus. Ipse autem Godefridus monachis beati Petri Carnotensis, qui se in predicti Johannis possessionibus jus habere dicebant, in predicto furno duodecimum nummum et duodecimum panem, et in molendinis duodecimam minam in perpetuum donavit et concessit; et monachi illi jus illud, quod in predicti Johannis possessionibus requirebant, predicto Godefrido et heredibus ejus quiete habendum in perpetuum, dimisere et concessere. Quod ne valeat oblivione deleri, scripto commendavimus et sigilli nostri auctorite subterfirmavimus. Actum apud Unum Gradum Anno 1123.

[1] Eudonem illum, Henrici sive Stephani, comitis Blesensis, filium, adhuc prorsus ignotum fuisse opinamur.

publice, anno incarnati Verbi MCXXIII°, regni nostri XVIII°[1], astantibus in palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt et signa : S. Stephani[2] dapiferi. S. Gisleberti buticularii. S. Hugonis constabularii. S. Alberici camerarii. Data per manum Stephani cancellarii. »

LXII.

Privilegium Ludovici regis de libertate ecclesie sancti Paterni de Aurelianis.

Anno 1115. * « In[3] nomine sancte et individue Trinitatis. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, notum fieri volumus omnibus sancte christiane religionis curam gerentibus, quia venerabilis Willelmus, Carnotensis cenobii abbas, serenitatem nostram adiit; satis rationabiliter nos admonens, quatinus, pro animabus antecessorum nostrorum, pro nobis etiam ipsis, ecclesie beati Petri aliquid accresceremus. Cujus rationabili petitioni aurem prebentes, donum quod de ecclesia sancti Paterni, que est extra muros Aurelianis civitatis, predicte ecclesie sancti Petri factum erat concessimus et concedimus, firmavimus et firmamus; insuper addentes et donantes terre, eidem ecclesie sancti Paterni adherentis, aripennorum VIII, totam vicariam, immo totam omnino justiciam; ita scilicet, ut, intra predictos VIII aripennos, nullus regie potestatis minister aliquam justiciam clamare presumat, non furem, non incendium, non raptum, non sanguinem, non rotagium, non foragium, non bannum, non talliam in hospitibus qui ibi hospitabuntur, non corveiam, non ire in nostram caballationem neque in hostem, non herbergamentum, non sasimentum, immo nichil ex toto quod ad nostram pertinet vicariam sive justiciam; omnia hec concedentes et donantes jam dicte ecclesie beati Petri, et quorum ejusdem ecclesie abbas voluerit ditioni. Damus quoque licentiam ibi hospitandi quoscunque voluerint, preter homines Aurelianensis civitatis, qui, sine nostra permissione et precepto, neque inibi hospitabuntur

[1] Annus Chr. 1123 non bene convenit cum a. 18 Ludovici VI, cujus regni initium inde a die 3 augusti a. 1125 sumitur.

[2] De quo supra, p. 446, not.

[3] Edit. apud Martenn. *Ampliss. collect.*, t. I, col. 633.

neque res eorum recipientur. Quod ut inviolatum et firmum permaneat, sigilli nostri auctoritate firmari precepimus. Actum publice in palatio Aurelianensi, anno incarnati Verbi MCXV°, regni nostri VII, Adelaidis regine primo. Astantibus in palacio nostro quorum nomina subtitulata sunt et signa : S. Anselmi[1] dapiferi. S. Widonis camerarii. S. Hugonis constabularii. S. Gisleberti buticularii. Data per manum Stephani cancellarii.

LXIII.

De terra de Mori Villari a Petro, filio Cochardi, pro indulta sibi libertate nobis dimissa.

« In ejus nomine qui omnium in se credentium verum se animarum liberatorem ostendit, dicens peccati adhuc servis : *Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis*[2], Domini scilicet nostri Jhesu Christi. Ego frater Udo, sancti Petri Carnoti, Dei gratia, humilis minister vel abbas, omnibus et presentibus et futuris notum esse volo fidelibus, quia, unanimi totius capituli commisse michi congregationis consensu et concessu, Petrum, filium Cochardi, hominem de ecclesie nostre familia originaliter existentem, ab omni servitutis nostre vinculo publica manumissione absolverim, eumque, cum omni, si qua forte erit, posteritate sua, plene et integre libertati restituerim. Sciri et volo quia Petrus idem, pro indulta sibi a nobis libertate, reliquit ecclesie nostre et quietum clamavit quicquid terre habebat apud Mori Villare, promittens se contra omnes homines eandem terram nobis defensurum; tali lege, ut, si eam nobis quietare non posset, in servitutem ecclesie nostre, sicut ante fuerat, ipsemet rediret. Fecit autem sororem suam, nomine Agnetem, concedere ejusdem donum terre, eandemque quietudinis securitatem secum promittere. Horum autem omnium hii quorum nomina subscripta sunt testes existunt. Ex nostra parte : de monachis, Robertus prior, Rainulfus subprior, Adelardus cellerarius, Rainfredus camerarius; Rogerius, prepositus de Belsia;

1130-1150.

[1] Anselmus sive Ansellus de Garlanda, frater Stephani cancellarii, ab Hugone de Puteolo ex comparatis insidiis necatus a. 1118.

[2] Joan., VIII, 36.

Bernardus armarius, Rainerius precentor, Giroldus, qui cartam scripsit; de laicis, Willelmus, filius Ansoldi; Robertus major, Ernaldus botarius, Adelardus infirmarius, Ernulfus sacristes; Robertus et Grenerius et Rogerius, hii tres coci. Ex parte liberati : Belinus, avunculus ejus; Teodericus de Chavennis, Milo de Abonis Villa; Hilduinus, major de Orlu; Paganus, major Abonis Ville; Michael de Arcelu, Paganus de Berre Villa; Gaufridus, nepos Theoderici de Chavennis, hii omnes cognati ejus; Stephanus de Buisseto; Robertus, filius Erardi, et fratres ejus Adelardus atque Martinus; Brientius de Vervilla, Christianus de Chavennis. »

LXIV.

Cyrographum inter nos et Hugonem de Alogia, decimam de molendino Balduini cum uno campo terre ab Alcherio, et arpennum unum cum uno hospicio, nobis datum, testificans.

« Presenti cyrographo omnibus et presentibus et futuris fidelibus innotescat, conventionem inter nostram, sancti Petri Carnoti videlicet ecclesiam, et Alcherium de Alogia ejusque filios, de molendino quodam, qui dicitur molendinus Balduini, talem olim extitisse, ut tercia ejusdem molendini pars, cum quodam terre campo, terre nostre sancti Germani contiguo, pro tota totius molendini factura, et cum decima, nostra esset. Ex quo videlicet pacto, quia frequenter inter nos et ipsos discordie crebreque molestie emergebant, visum est utrique parti bonum placuitque inter nos, ut quicquid in eodem molendino habebamus, Hugoni, qui predicto patri suo Alcherio heres successerat, dimittentes, molestiis facture molendini nos liberaremus; decima, que ecclesie nostre separatim in elemosina data fuerat, retenta; et idem Hugo predictum campum terre, addito uno hospicio, quod in terra sancti Germani habebat, cum uno terre arpenno, ecclesie nostre perpetuo possidendum in elemosinam donaret; decima, sicut dictum est, ecclesie nostre, sicut olim seorsum data fuerat, confirmata. Condicto itaque die, predictus Hugo, cum fratre suo Stephano et avunculo Herardo de Vilabon et Rainardo, venit in capitulum nostrum, sicque Hugone que predicta sunt donante, et fratre

ejus Stephano concedente, prefate conventionis commutatio alterno concessu confirmata est; ubi etiam Hugo promisit quod rerum predictarum donum sorores suas concedere faceret, et, si quis hoc de parentela sua infestare aliquando vellet, legitime per omnia defenderet. Sciendum quoque quod Willelmus Aculeus, de cujus fevo predicta terra erat, hoc concesserit. Testes : Robertus major, Renerius vicarius, Hato de Burgo, Petrus Vigil, Adelardus, Rainardus, Britellus, Guillelmus, Balduinus; Matheus cum Hugone, duo sui predicti avunculi; Herardus de Villabon et Rainardus. Hiis ita peractis, prioris conventionis scripta, coram archidiacono tunc Galterio, destructa fuerunt. »

LXV.

De aqua in terram Alcherii de Alogia ex nostro stagno exundante, ab ipso nobis ad piscandum data; simulque de agro apud Domnum Petrum a Hugone dato.

« Successuris hujus monasterii fratribus omni etate certum sit, 1101-1129.
quod Galterius monacus, sub abbate Willelmo Alogie prepositus, a quodam milite de Alogia, Alcherio nomine, impetravit ut aquam, que supra stagnum nostrum currit, et pisces sancto Petro perpetuo concederet, quandiu aqua ibi esset; recedente autem aqua, faceret de terra quicquid vellet; et, redeunte aqua, iterum essent pisces nostri et aqua. Concesseruntque Carnoto, in presentia domni Guillelmi abbatis, ipse et uxor ejus, coram Hugone Harta Mala, ex parte eorum; ex nostra autem parte, Gaufrido et Galterio cocis, et Roscelino milite. Alogie vero concesserunt filii et filie eorum Hugo, Gauterius, Stephanus, Hiselina, Elisabeth, Odelina, coram his testibus : Herardo milite, Rainardo forestario; ex parte vero nostra, Archembaldo monacho, Abel presbitero, Herberto Carnotis; Benedicto, serviente monachorum; Odone forestario, Bernardo molendinario, Girardo Harta Mala, Willelmo Rufo, Ulrico Trichet, Blanchardo, Gurhanno, Girardo, Hernulfo de Bullo. Pro hac autem re notandum, quia Alcherius et uxor ejus XXV solidos de caritate habuerunt; et promisit nobis quod ab omni calumpnia, que fieret nobis pro hac re, securos

nos faceret. Hoc donum concessit Robertus Aculeus, a quo predictus Alcherius tenebat. Concesserunt quoque tres filii ejus, Robertus, Willelmus, Nivelo. Cui concessioni interfuerunt : ex parte nostra, Belinus; Rainardus, filius Aventii; Sirot asinarius. Ex parte vero ejus fuit dapifer ipsius Hubertus. Pro hac autem concessione, habuit ipse Robertus X solidos; et notandum quod ipse et tres filii ejus promiserunt nobis defensionem suam, secundum justiciam, contra omnem calumpniam que nobis inde fieret.

Sciant posteri quia Hugo, frater Erchembaldi monachi, dedit sancto Petro, pro remedio anime matris sue, unum agrum apud Domnum Petrum. Cujus donationis testes sunt : Richeldis, uxor ejus, et Hubertus, filius ejus, qui et concesserunt; Garinus, frater ejus, et filii Garini Odo, Mainardus, Haimericus. Ex nostra autem parte, Girardus Harta Mala, Bernardus molendinarius, Girardus Duo Valet. »

LXVI.

Privilegium Ludovici regis libertatem terre de Niz comprehendens.

Anno 1109. « In nomine sancte et individue Trinitatis. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Quia in mundo facta, nisi litterarum memoria teneantur, vel fere vel penitus ad nichilum reducuntur, dignum satis, immo necessarium ducimus, ut ea maxime que catholice gerimus, ne oblivione infirmari valeant, litterarum memorie commendemus. Universis igitur sancte Dei ecclesie cultoribus, tam posteris quam presentibus, notum fieri volumus ac certum haberi, quia frater Willelmus, abbas sancti Petri Carnotensis cenobii, nostram serenitatem adiit, postulans ut, pro Dei amore et pro redemptione anime domni Philippi, patris mei, regis Francorum, Deo et prefate ecclesie quandam desertam terram, Niz videlicet, cum toto territorio sibi attinente, donaremus. Cujus petitioni, quoniam sana et utilis nobis est visa, tali conditione adquievimus : concessimus ecclesie jam dicte totam supradictam terram habendam, et libere et quiete et absque omni nostre justicie consuetudine perpetualiter possidendam. Donavimus et

quotcunque ibi hospites ponerentur; nullam in eis neque in eorum agripennis consuetudinem, neque in propriis monachorum culturis, quantum cum duabus carrucis excolere poterint, retinuimus; de aliis tantum, terris nobis medietatem terragii et consuetudinem illam quam brennagium vocant, sicut in terra sancte Crucis accipimus ab incolis villanis, retinentes. Quod ut firmum et inconcussum futuris temporibus maneat, nominis nostri karactere firmari, et sigilli nostri actoritate corroborari precipimus, presentibus de palatio nostro quorum nomina subtitulata sunt et signa[1]. S. Anselmi dapiferi. S. Stephani cancellarii. S. Hugonis constabularii. S. Widonis camerarii. S. Widonis buticularii. Actum Parisius in palatio publice, presente Adela, comitissa Blesensi, anno ab incarnatione Domini MCIX°, anno vero nostre consecrationis II°. Stephanus cancellarius relegendo subscripsit.

LXVII.

Quod Gallesius, filius Ribaldi, cum uxore sua, filia Alberti majoris, malefactum et calumpniam omnem penitus contra nos abjuraverit.

« Scriptum hoc legentibus notum esse volumus nos sancti Petri Carnoti monachi, quia Gallesius, filius Ribaldi de Artenaico, priusquam filiam Alberti, majoris Imprenville, uxorem duceret, in capitulum nostrum venit, et, cum eodem patre suo Ribaldo, ecclesie et capitulo nostro super sanctorum reliquias hujusmodi fidelitatem juravit; quod videlicet, nullo modo nobis vel rebus nostris, nec facto nec concensu, nec per se nec per alium, nocumento unquam scienter foret; quod, si dampnum ecclesie nostre in aliquo presentiret, nos super hoc pro posse premuniret; quod etiam, si a rege, ut pote domino suo naturali, coactus, vel nesciens, in dampnum rerum nostrarum duceretur vel veniret, mox ut hoc comperiret, pro posse satisfaciens, si quid de damno nobis facto in partem sibi cederet, nobis sine fraude restitueret; quod denique nec ipse nec heres suus, in rebus ad ecclesiam nostram quocunque modo pertinentibus, nulla occasione quic-

[1] Hic delineatum est monogramma Ludovici regis.

quam unquam clamaret. Predicta quoque puella, ejusdem Gallesii uxor mox futura, hoc idem post eum, sicut hic determinatum est, juravit jusjurandum; in eodem sacramento suo addens hoc, quod, si forte eidem marito suo superstes foret, non nisi consilio, voluntate et licentia capituli nostri, alteri se viro in matrimonium copularet. Cujus rei testes sunt isti : Willelmus, filius Ansoldi; Willelmus prefectus, Ivo de Porta Morardi, Hubertus Rufus, Rainaldus de Fredenvilla, Ivo de Gaudenia, Baudricus, Teobaldus Claron; Ansoldus, filius Rogerii; Floherius. Ex parte Alberti, Gerorgius, Galerannus, Fulbertus. »

LXVIII.

Quomodo terra quedam Mainardo et uni post se heredi concessa sit.

1101-1129. « Ego Guillelmus, dictus abbas, fratrumque conventus, volumus ut hujus scripti presentia tam presentium quam per succedentis seriem evi exurgentium fulciatur memoria, nos illius terrule, quam a predecessoribus nostris olim tenuerat, decimam et agrariam, dum supervixerit, Mainardo tribuisse, et, post ejus obitum, huic heredi quem inpresentiarum nobis exhibuit, nomine Bartholomeo, ejusdem terre agrariam, decima ad nos revertente, in spacio vite sue destinasse. Si autem generationem filii de legitima conjuge susceperit, idipsum eadem conditione ei concedimus, altero quem prius sibi hereditarie succedendum instituerat evacuato. Quod si heres ab eo institutus ante Mainardum morte preventus fuerit, omnem reliquam Mainardi sobolem ab hujus pactionis expectatione, cum amplius non procedat, excludimus. Isti presentes interfuerunt testes : Odo major, Adventius, Laurentius, Godescaldus major; Rainaldus, filius Arnulfi; Robertus, filius Rainaldi; Harduinus de Hunvilla, Hugo de Bunvilla, Gaufridus cocus; Teobaldus, Rainaldus, nepotes ejus; Galterius auriga, Berengerius; Robertus, filius ejus; Cochardus. Ex parte ejus, Hugo de Blesis, Robertus Flam; Ansoldus, filius Roberti; Guidardus miles. »

LXIX.

Cyrographum inter nos et Garinum Bulguerel, de V arpennis terre nobis a patre suo et ab ipso donatis.

« Noverint omnes qui scriptum hoc legerint, quod filii Mauricii, cognomento Bulguerel, Garinus scilicet cum uxore sua, nomine Milesende, et filio suo parvulo Stephano, et Galterius, frater ejus, in morte ejusdem patris sui, pro salute ejus suarumque animarum, clamaverunt quietum nobis, sancti Petri Carnoti monachis videlicet, quicquid calumpniati fuerant in atrio et in corpore ecclesie de capella Osane, a predicto eorum patre Mauricio, per manum episcopi Gaufridi, nobis longe ante donante. Et insuper, de propria dominicatus sui terra, sicut et pater ipsorum ante fecerat, tradiderunt in elemosinam ecclesie nostre V agripennos terre, prefate ecclesie cimiterio contiguos, quietos omnino et ab omni consuetudine ita solutos, ut quicquid voluerimus inde facere libere possimus. Sciendum quoque quia de domo sua, quam in predicto atrio idem Garinus habet, duos denarios census nobis annuatim reddet. Porro autem hujus tam dimissionem calumpnie quam terre donationem predicti fratres, et prius coram domno Richerio archidiacono et Herveo decano, et postmodum in capitulo nostro, confirmaverunt; multis quorum subscripta sunt nomina videntibus audientibusque testibus. Nomina testium : Fromundus prefectus, Robertus de Membrolis, Robertus Aculeus junior, Guillelmus de Bena, Ebrardus Britellus, Roaldus, Albertus. »

LXX.

De arpenno terre a Garino Torcul apud Theovas dato, et a filiis ejus concesso.

« Quando Garinus de Alneto, qui cognominatus est etiam Torcul, 1130-1150.
moriebatur, visitante se domno Udone, nostro sancti Petri Carnoti scilicet abbate, idem egrotus, multis qui presentes aderant videntibus, donavit ecclesie nostre in elemosinam unum arpennum terre

apud Theovas situm, prope nostrum quem ibi habemus molendinum; ita videlicet liberum et quietum, ut et decima de eo nostra sit et terragium. Quod patris sui donum filii ejus Adam, Paganus, Galerannus atque Herbertus, et filie Eremburgis et Petronilla, ipso jam defuncto, concesserunt et concedentes, super altare sancti Petri posuerunt. Cui rei affuerunt testes hii : Guillelmus de Mongervilla, Ansoldus de Bello Videre, Goslenus medicus, Ivo de Balneolis, Isembardus de Alberis. »

LXXI.

Cyrographum majorie Germenonis Ville feodum determinans.

« Cyrographi presentis lectione notum omnibus et indubitabile fieri legentibus volumus, nos sancti Petri videlicet monachi, quomodo discordia, que inter nos et Odonem, majorem Germenonis Ville, emerserat, fuerit terminata. Ipse itaque Odo, quia plurima sub pretextu feodi super ecclesiam nostram occupaverat, omnes easdem invasiones se injuste fecisse recognoscens, presentibus uxore et filiis suis concedentibusque, prius in publica audientia rectum audiendo dimisit, nichilque eorum se ultra petiturum fore, eorundem uxoris et filiorum suorum assensu, promisit. Cui nos tam ipsi quam heredi suo ea que subter annotata sunt, pacis et concordie causa, concessimus in feodum et concedimus : XX scilicet solidos de pastibus; ita duntaxat, ut, si quando quid minus de pastibus habitum fuerit, quicquid fuerit minus ipse habeat minus; adeo ut, si nichil habitum fuerit, ipse habeat nichil; utque eosdem XX solidos, vel quod minus forte fuerit, non nisi de manu monachi eidem loco prepositi accipiat, et hoc in assumptione sancte Marie; vel si monachus eos reddere distulerit, causatione majoris audita, abbas infra hoc faciat emendari; in grangia quoque nostra, unum modium de avena ad mensuram grangie, et unum modium de hibernagio, medium de sigila, medium de communi frumento, utrumque quando quadrigabitur, de manu monachi accipienda; eadem tamen lege qua et XX solidi sunt determinati, hoc est, quandiu in nostra ejusdem ville grangia tantum

poterit haberi, vel si minus aut nichil, ipse aut minus habeat aut nichil; terram insuper, quantum ipse major, cum tercia manu, et se et patrem suum ante se jure feodali ab ecclesia nostra tenuisse probavit, sicut eadem terra usque hodie manet limitata; despectus etiam suos qui sibi exierint de forisfactis vel placitis pro submonitionibus placitorum quas faciet, secundum jussionem monachi eidem loco prepositi; et ut ipse sibi tantum, si voluerit, furnum suum habeat liberum. His majori a nobis in feodum communi assignatis, definitum est et adjudicatum, ipso cum suis omnibus assentiente, nichil amplius vel ipsum vel heredem suum super ecclesiam nostram feodaliter ulterius posse clamare. Horum omnium hii quorum nomina subscripta sunt testes sunt : Garinus presbiter, Haldricus diaconus, Paganus de Cepei; Alcherius, filius Adelonis; Ivo de Porta Morardi, Hubertus Balduini, Laurentius tanator, Petrus hospitalarius; Godefridus, filius Roberti Peet; Galterius sellator; Ansoldus, filius Roscelini; Mascelinus cocus, Guigerius, Paganus Coturnix, Cochinus pellifex, Garinus marescallus. Ex parte majoris et filiorum ejus : Gaufridus et Rainardus fratres, Radulfus de Boenvilla, Ebrardus de Germenonis Villa; Herbertus, gener Odonis; Ricardus de Orgeriis. »

LXXII.

De terra Commonis Ville ab Amaurico filio Arroldi et fratribus ejus concessa.

« Noverint omnes qui scriptum hoc legerint fideles, quod Amauricus, filius Arroldi, cum fratribus suis Galterio atque Guillelmo, veniens in capitulum nostrum, sancti Petri Carnotensis scilicet, concesserunt ecclesie nostre terram de Commonis Villa, ab Odone patruo suo, quando ad monachatum venerat, nobis donatam; promiseruntque immunitatis se et quietudinis et testes et defensores fideliter de eadem terra nobis fore. Viderunt hoc et audierunt quorum nomina subscripta sunt testes. Paganus de Cepei, Ivo de Porta Morardi, Robertus de Besi Villa, Rainaldus de Ponz, Stephanus de Unpeil, Robertus Bechue, Ivo Gauterii, Fromondus de Morvilla, Robertus

Colvere, Aquillandus, Odo Leodegarii, Roissola, Cochinus, Heraldus, Herbertus, Marcheboe, Galterius sellarius, Mascelinus cocus, Radulfus cocus, Rogerius cocus, Ernaldus botarius, Albericus. »

LXXIII.

De platea vel domo apud Castrum Duni Baudrico et uxori ejus concessa, et, post decessum eorum, ad nos reditura.

1130-1150. « Scripti hujus lectione omnibus volentibus scire innotescat, quia ego frater Udo, sancti Petri Carnoti abbas, quorundam fratrum nostrorum consilio et assensu, concessimus Baudrico de Castro Duni et uxori ejus Margarete plateam quandam in nostra ibidem terra, ad domum faciendam; eo scilicet pacto, ut, quandiu vel uterque vel alter vixerit, eandem domum liberam sibi et rebus propriis, preter debitum censum, possideant; post decessum amborum, si tamen sine legitimo deinvicem herede obierint, in jus ecclesie nostre possessionemque redituram. Si vero heredem forte habuerint, pro liberanda heredi suo eadem domo, C nobis solidos dabunt; ita ut idem heres de eadem domo, sicut pro aliis rebus sic et pro propriis, omnes debitas consuetudines solvat. Qui tamen heres si sine herede obierit, domus ad nos, post ejus etiam obitum, libera redibit. Testes : Gislebertus presbiter, Arnulfus sacristes, Gaufridus cellerarius, Gaufridus sartor, Floherius. Audientibus eisdem testibus, predicta Margarita donavit ecclesie, in elemosinam, totam portionem suam de vineis et aliis quibuscunque rebus post mortem ejus habendam. »

LXXIV.

Cyrographum conventionem de terra Nigleboldi inter nos et Petrum majorem comprehendens.

Circa a. 1111. « Cyrographi hujus noticia certum cunctis legentibus fiat et indubitabile fidelibus, de terra Nigleboldi taliter conventum esse inter nos, sancti Petri Carnoti scilicet monachos, et Petrum majorem

sancte Crucis, fratremque ejus Paganum; ut ipsi quidem ejusdem terre terciam partem, nos autem duas habeamus; ita ut ipsi de sua tercia parte, cathedra sancti Petri, quinque solidos Aurelianensium de censu reddant monacho nostro qui eandem terram in manu habebit. Conventio tamen ista tunc rata erit et firma, quando eam, de qua agitur, terram Nigleboldi predicti fratres Petrus atque Paganus nobis, sicut pepegerunt, ab eisdem calumpniatore[1] liberam fecerint et quietam. Quod si facere nequiverint, quarta ejusdem terre parte contempti[2] erunt. Quam tamen quartam partem sciendum est a predictis fratribus nobis in plegeium fuisse deditam, quod videlicet cum eodem calumpniatore, nisi terra prius ab eo fuerit quietata, nunquam pacem facturi forent[3]. »

LXXV.

Quomodo Galterius de injusta calumpnia trahende decime de Haimoni Villa satisfecit.

« Quando Galterius, filius Jerorgii de Hemonvilla, cum Hersende, matre sua, in capitulum nostrum veniens, recognovit injuriam quam nobis faciebat calumpniando decime nostre ejusdem ville; et quando satefecit de eadem injuria pro qua et excommunicatus erat, et quando, per fidem qua christianus erat, pepigit juraturum se super sanctas reliquias apud Alonam, quod et fecit sequenti die dominica, et cum eo frater suus Odo et soror Milesendis, vidente tota parrochia, quod scilicet nunquam eandem repeterent nec repeti facerent calumpniam; quando, inquam, hec ita in capitulo nostro gesta fuerunt, affuerunt, tam ex sua quam ex nostra parte, quorum nomina subscripta sunt testes : Symon de Spinciaco, Teobaldus de Hunvilla, Guillelmus de Cruciaco, Richerius major, Paganus Laqualle, Robertus cocus, Petrus sartor, Radulfus, Rogerius Vis de Furner, Johannes Brevigerulus, et plures alii. »

[1] Corrig. *pepigerunt, ab ejusdem calumpniatore.*

[2] Leg. *contenti.*

[3] Duo instrumm. que sequuntur in Cod., ad terras Commonis Villæ et Verni spectantia, prodierunt superius, lib. I, c. CLV, CLVI, p. 368 sq.

LXXVI.

Quomodo Alcherius, famulus noster, venit in capitulum nostrum, et prece obtinuit, apud abbatem Fulcherium et conventum, ut venderet Adam Harenc quod apud Proevillam tenebat.

1151-1171. « Noverint universi quoniam Alcherius, famulus noster, venit in capitulum nostrum, et prece obtinuit, apud abbatem Fulcherium et erga conventum, ut ei liceret vendere quod tenebat apud Proevillam, Adam Harenc, qui tunc erat prefectus de Hienvilla. Emit itaque Adam Harenc quod habebat apud predictum pagum, favore capituli nostri, C solidis, ad opus suum et heredum suorum; fecitque in capitulo homagium Fulcherio abbati ejusque successoribus, tam et ipse quam heredes sui; hoc tenore, ut, in quacumque hora abbas sancti Petri et capitulum submoneret eum, sicut hominem suum legitimum, iret paratus sive longe sive prope, sive in curiam regis sive in curiam comitis, sive in quemcunque locum, et ad vademonium dandum et ad placitandum pro eis et rationandum; similiter et heredes ejus post eum. Alcherius vero, coram omni capitulo, spopondit quatinus, nec in tempore suo nec in temporibus heredum suorum, servicium suum quandoque pro venditione ista decideret, aut quoquam modo minueretur. »

LIBER TERTIUS.

DE BRAIOLO ET OMNIBUS AD SE PERTINENTIBUS. DE SPELTEROLIS. DE MITANI VILLARI. DE POMEREIA ET DE OMNIBUS VEL OBEDIENTIIS VEL POSSESSIONIBUS, JUXTA VEL INFRA PRENOMINATA LOCA, SECUNDUM VICINIARUM CONGRUENTIAM, SITIS.

I.

Privilegium a Gaufrido, Carnotensi episcopo, factum, quomodo ecclesia sancti Leobini de Braiolo in jus ecclesie nostre devenerit comprehendens.

* Gaufridus[1], Carnotensis episcopus, testatur concordiam inter monachos de Nogent et monachos sancti Petri Carnotensis initam his legibus : scilicet, ecclesiam de Nogent cum pertinentiis concessam fuisse monachis de Nogent a monachis sancti Petri, quibus monachi de Nogent ecclesiam de Braiolo donaverunt. Anno 1124.

« Acta sunt hec anno ab incarnatione Domini MCXXIIII°, episcopatus nostri VIII°. Presentibus istis : Bernerio, Bonevallensi abbate; Stephano, abbate de Valeia; Sansone, Carnotensi decano; Gerogio precentore, Gauterio archidiacono, Hugone subdecano, Garino succentore, Bernardo cancellario; Hugone de Leugis, preposito; Galeranno, abbate sancti Andree; Bernardo capicerio, Zacharia archidiacono, Salomone archidiacono, Gisleberto canonico, Guidone canonico, Gaufrido canonico. »

II.

Scriptum ejusdem Gaufridi episcopi de ecclesia de Evorea, ab Odone Brunello reddita et ab ipso nobis data.

« Pastoralis officii curam constat bipartitam esse : nam vel propulsandis malis vel propagandis quibusque bonis insistere debet quisquis

[1] Hujus chartæ fragmenta edita sunt in *Gall. Christ.*, t. VIII, instr., col. 323.

in sancta ecclesia pastoris locum officiumque tenet. Propterea ego Gaufridus de Leugis, Carnotensis ecclesie, gratia Dei, humilis minister, scripti hujus testimonio, omnibus et presentis temporis et sequentis fidelibus notum esse volo, quod miles quidam, Odo Brunellus dictus, ecclesiam de Evorea, quam dudum hereditario quidem sed injurioso jure laicus possederat, guerpo in manu mea posito, sancte ecclesie per me restituit, Jerosolimam non multo post profecturus. Quam scilicet ecclesiam in manu mea aliquanto tempore detinui, quod videlicet de ipsa disponerem salubriter morosius mecum pertractans. Volens itaque sancti Petri monasterium, quod in suburbio civitatis hujus situm est, in aliquo augere, memoratam ecclesiam juri illius et possessioni, per manum domni Willelmi, loci ejusdem tunc abbatis, perpetuō possidendam delegavi. Presentibus de canonicis nostris : Goslenno archidiacono, ad cujus archidiaconatus officium ecclesia eadem pertinebat, et Hugone de Leugis preposito; Salomone quoque, Vindocinensi archidiacono, et Zacharia archidiacono, et Bernardo capicerio. Istis, inquam, videntibus, dedi prefato monasterio predictam ecclesiam, salvis tamen episcopalibus consuetudinibus et decani atque archidiaconi. »

III.

Cyrographum inter nos et Vitalem presbiterum, Guidoni, nepoti suo, medietatem ecclesie sancti Leobini concessam testificans.

« Notum sit omnibus hanc scripturam legentibus, quia ego Robertus prior et omnes monachi sancti Petri Carnotini cenobii, communi assensu ac deprecatione Vitalis, presbiteri ecclesie sancti Leobini de Braiao, concessimus Guidoni, suo nepoti, post obitum avunculi, medietatem presbiterii ejusdem ecclesie quam diximus, quam idem Vitalis presbiter sancto Petro et nobis adquisiverat a Guerrico vicedomino atque Alberto fratre suo. Concessimus, inquam, sicut premisimus, si tamen voluerit clericaliter vivere vel presbiter esse. Hoc autem conscriptum olographum in duas divisimus partes, ut, cum opus fuerit, pars altera requirat alteram, et veritas nostri operis, absque

ulla falsitate custodita, per partes legendo inconvulsa pateat. Hujus autem rei testes fuerunt : ex nostra parte, Gerogius, canonicus sancte Marie nosterque fiscalis; Robertus, sancti Hilarii presbiter; Adventius, filius Stephani; Dodo de Campo Fauni, Engelbaudus Altipedane, Guarinus cellerarius. »

IV.

Quomodo Guillelmus Goetus loco sancti Romani et omnibus ad se pertinentibus plenam ab omni consuetudine libertatem, cum uxore et filiis suis, indulsit.

« In nomine Salvatoris Domini nostri Jhesu Christi. Audivi fidelium verbis predecessorumque cognovi exemplis, neminem perversis actibus vel aliquibus rapinis deditum, veniam posse promereri, nisi jam dicta vicia correxerit, et bona agere studuerit; ut, sicut aliena rapiendo crudelis extiterat, sic demum, propria largiendo, misericors existat, et impleatur in eo illud evangelicum : *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur*[1]. Quapropter ego Guillelmus, cognomine Goetus[2], credens meis prodesse sceleribus saltem aliquantisper, ab alienis injuste rapiendis tandem quiescere promitto; et voveo, coram Deo et sanctis ejus, quicquid apud cellulam sancti Romani, sitam in confinio Braiocensis castri, hactenus injuste invaseram, me non amplius exacturum, nec unquam ab alio aliquo consensurum. Insuper, uxore mea, nomine Eustachia, et filiis meis Guillelmo et Roberto, necnon et filia mea, nomine Mahildi, libentisse annuentibus, pro remedio anime Hugonis, dilectissimi filii mei, in Domini peregrinatione retenti, ipsum locum cum appendiciis ejus, seu quicquid ex dono meo vel hominum meorum eidem accreverit, absque alicujus rei calumpnia, remissionem omnium consuetudinum faciens, libere ipsius sancti monachis in perpetuum habere permitto; excepto quod burgenses mei absque nutu meo in eadem terra minime ad habitandum recipiantur. Si quis vero, quod

[1] Matth., V, 7.

[2] Hic erat dominus Montis Mirabilis et quatuor baroniarum, quibus constabat ea pars pagi Perticensis, quæ nuncupabatur *Perche-Goet*, sive *Gouet*. Cujus Guillelmi uxor Eustachia erat consanguinea Willelmi abbatis Carnotensis.

absit! hanc libertatem infringere presumpserit, excommunicatione perpetua, nisi digne emendaverit, inremediabiliter feriatur. Et ut hec libertas firmior habeatur veriusque a posteris credatur, presentem inde cartulam, testimonii causa, fieri jussi, quam ego ipse, una cum jam dicta uxore mea et filiis, propria manu subterfirmavi, et obtimatibus meis qui affuerunt idem agere precepi. S. Guillemi principis. S. Eustachie, uxoris ejus. S. Guillelmi, filii ejus. S. Roberti, filii ejus. S. Mahildis, filie ejus. S. Hugonis Godiscalli. S. Guathonis. S. Hugonis Brugierensis. S. Raherii de Exarto. »

V.

Cyrographum inter nos et domnos de Braiolo, conventiones de loco sancti Romani et omnibus ad se pertinentibus firmatas comprehendens.

1101-1129 « Quoniam scriptura vera conservatrix est memorie rerum gestarum, ego frater Guillelmus, abbas sancti Petri Carnotensis cenobii, ad memoriam posterorum presenti scripto transferre decrevi, quod Eustachia, uxor Guillelmi Goeti, sepius me rogavit, ut ecclesie sancti Romani, quam Braioli habebamus, res nostras, quas in partibus illis ecclesia nostra possidebat, dicarem, ut ibi plures monachi in Dei servicio vivere possent et monasticum ordinem conservare. Quod cum longo tempore distulissem, tandem, communi consilio fratrum nostrorum, hac conditione concessi, ut ipsa, per concessionem viri sui Guillelmi Goeti, et filiorum suorum Guillelmi, Roberti et Mathei, de rebus suis attribueret eidem ecclesie quod nobis placere debuisset. Quod illa libenter suscipiens, condicto die venit in capitulum nostrum cum predicto viro suo Guillelmo et Roberto filio suo, et quibusdam familiaribus suis; ibique, sicut presens scriptum designat, determinatum est quid ipsi, quid nos ecclesie predicte concederemus. Concesserunt igitur duas meditarias et medietatem unius molendini apud Unverram, et decimam molendinorum suorum in stagno, et tribus vicibus piscationes in eodem stagno per annum consuetudinarie, et, quotienscunque illuc veniret abbas, quandiu maneret; et dimiserunt quicquid sui juris esse dicebant, et que juste vel injuste

in terra sancti Romani et in tota terra quam ego et capitulum illi obedientie concessimus, capiebant; excepto quod, in die mercati, capient eminagium in burgo nostro, ab hora nona diei Martis usque ad primam diei Jovis, ab omnibus hominibus qui in eodem burgo non habitabunt. Illi vero qui in eodem burgo habitabunt, neque die mercati neque alio die, eminagium reddent nisi nobis monachis; et similiter omnes homines qui habebunt annonas in burgo sancti Romani, quicunque illi erunt, qui volent ibi annonas suas conservari, et sine contradictione hoc facient et eminagium reddent nobis monachis omnibus diebus, excepto in tempore mercati. Aliud teloneum reddent, tam nostri quam extranei, designato tempore mercati; aliis diebus, ab omnibus extra venientibus, si aliquid venale attulerint et in burgo sancti Romani vendiderint, ipsi ab illis teloneum accipient, et monachi nostri a burgense suo, si emerit vel vendiderit. Concesserunt etiam quod porci nostri, quotquot habuerimus, tempore pastionis, sint in omnibus nemoribus suis absque pasnagio. Homines vero nostri, si porcos suos in nemora eorum mittere voluerint, ipsi pasnagium nemoris accipient; monachi vero nostri pasnagium habebunt quod stipularum dicitur. Concesserunt nichilominus ut homines qui venerint ad habitandum in terram nostram, in tota terra sua non solvant pedagium dum venerint in primo anno. Si vero vina sua edicto vendere voluerint, quater in anno statutis temporibus, scilicet festo omnium sanctorum, nativitate Domini, in capite jejuniorum, Pascha quandiu duraverit, hoc est tribus septimanis, homines nostri sua vendere cessabunt; excepto quod modiis et oneribus cuilibet, tam domestico quam extraneo, vendere eis licitum est. Quod si, supradictis temporibus, quodlibet horum bannorum deesse contingat, quocunque tempore restituatur, ob hoc nullatenus nostrorum taberne reprimentur. Omnes quoque homines, quotquot in tota terra obedientie illi subjecta habitant, ab omni subjectione, coactione et seculari exactione liberos et absolutos fecerunt; nisi forte, inimicorum obsidione constricti, ad opida sua custodienda, a priore hominum nostrorum subventionem pro hac sola necessitate petierint; ita tamen, ut, extra opida, ad bellum non promoveantur, sed intra, ad eadem defendenda, solummodo pre-

parentur. Statutum est etiam et ex utraque parte fixum, ut nullus de sua terra in nostram, absque eorum licentia, ad habitandum reciperetur; nec ullus de nostra in suam terram, sine permissu nostro, migraret. Preterea, si quis de nostris hominibus cuilibet quodcunque forisfactum fecerit, ante priorem ille cui facta injuria fuerit veniet, justiciam accepturus. Proinde, non nostra petitione, sed sua nos bona voluntate preveniente, firmaverunt, ut nullis ab ipsis terram tenentibus, cuiquam ecclesie, excepto sancto Romano, beneficium aliquod de fevo suo impendere liceret; quippe qui semetipsos, superveniente obitus sui die, ibidem tumulandos, in pignus vere dilectionis, indissolubili proposito decreverunt. Hec et audierunt et viderunt qui subscripti sunt testes. Ex parte illorum : Guatho de Braiolo; Hugo de Brueria, cum Guillelmo et Goherio, filiis suis; Raherius de Exartis, cum filio suo Gaufrido; Paganus de Boscheia, Adam Brunellus, Odo Brunellus, Coichardus, Guatho de Castello, Guillelmus faber; Fulco, filius Guntherii; Raherius Garnerii, Paganus Hamardi. Ex nostra parte : Richardus faber, Gaufridus Mainardi; Rainaldus, frater ipsius; Herveus piscator, Adelelmus carpentarius, Ernaldus pelliparius, Deiquartus, Robertus Josie, Haimericus. »

VI.

De botis a Gilone Mansello ecclesie sancti Romani dimissis, et a Daniele et Gaufrido de Exsartis concessis.

« Legentibus litteras istas certum sit, quod Gilo Mansellus, Jerosolimam proficisci volens, dimisit ecclesie nostre sancti Romani de Braiolo unas botas XII denariorum, quas pater ipsius Falco Mansellus et avus Gilo, pro aliquantis que ecclesie nostre contulerant donariis, annuatim sibi reddendas, quasi memoriale quoddam, sibi retinuerant. Postmodum autem Daniel de Firmitate, primogenitam Falconis filiam, sororem scilicet Gilonis, uxorem habens, easdem botas quasi ex jure calumpniatus, et aliquantas de rebus nostris, occasione ista, saisiendo invadens, tandem, post multas vexationes et invasiones, facti penitens, coram multis testibus, in presentia domne Eustachie, con-

cessu Hersendis uxoris sue et filiorum Gaufridi, Gilonis atque Roberti, filie quoque Mathee, dimissis omnibus calumpniis, donum botarum ecclesiam nostram quiete habere et possidere concessit, et de injusta calumpnia vel saisina, in manu Huberti tunc prioris, rectum fecit. Testes : ex parte Gilonis, Paganus, sororius ejus; Guillelmus Rufus, Rainaldus Fortin. Ex nostra parte : Guillelmus Meschinus, Robertus Goetus, Adam Brunel, Odo Brunel, Wlferius de Brueria, Goscelinus de Nivart, Robertus Riscendis, Richardus faber; Rainaldus, frater ejus; Teobaldus Pesat, Ernaldus pellifex, Guillelmus, Hubertus, Eustachia, Gervasius. Hoc quoque fecit etiam Gaufridus des Esard, et idem botarum donum, concessu uxoris sue, Brunmatin nomine, predicti Falconis filie, pro anima cujusdam filii sui post ecclesiam nostram sepulti, et ipse concessit. »

VII.

De carrucata terre ab Ingelgerio Rufo, apud Salictum, sancto Romano data, et a Radulfo Oculo Canis, cum uxore et liberis suis, concessa.

« Engelgerius Rufus, pro remedio anime sue, dedit sancto Romano, ad Salictum, terram ad unam carrucam, concedente Radulfo Oculo Canis, cum uxore sua et infantibus, de cujus feodo terra predicta erat. Affuit Moyses monacus et Radulfus Bleteron monachus. Testes affuerunt : Willelmus Cornillellus, Rainaldus Dedoin, Garinus Marchellus; Herbertus Sachespada. »

VIII.

De duabus bovatis terre a Guillelmo Goeto sancto Romano datis, et concessis ab uxore et liberis suis.

« Quando Moyses monachus erat prior sancti Romani, Guillelmus Goetus, pro remedio anime sue, dedit sancto Romano, de terra sua quam in proprietate habebat, terram ad duos boves, concedentibus uxore sua Eustachia et filiis suis Willelmo, Roberto, Matheo. Affue-

runt testes : Nevelon; Urso, filius ejus; Gualterius, filius Heldreii; Haimericus et Burgon, filii ejus; Landricus de Bona Valle, Rotrocus, Gislebertus dapifer, Robertus satelles, Radulfus Tardecurialis, Gosbertus miles, Herveus Brehis, Hubaldus. »

IX.

De sex denariis exclusagii de ponte Frambaldi, a Gualterio Garini sancto Romano datis.

« Gualterius Garinus, cum matre sua Richelde, pro anima patris sui Goffredi, dedit sancto Romano VI denarios de exclusagio de ponte Frambaldi, audiente Eustachia. Testes affuerunt : Cochardus pretor, Paganus de Bovelca; Goffredus, filius Mainardi; Willelmus carpentarius. »

X.

De quatuor denariis census de pratis de Crocheto, a Legarde majorissa et Gaufrido, filio suo, sancto Romano datis.

« Legardis majorissa, cum Goffredo filio suo, dedit Sancto Romano, pro anima filie sue Richeldis, IIII^or denarios de censu pratorum de Crocheto. Affuerunt testes : Robertus, maritus Richeldis predicte; Robertus Pisacius; Reinaldus, filius Willelmi; Stephanus Parvus, Rusticus; Grimaldus de Calceia. »

XI.

De molneragio molendini de Crocheto a Hermanno empto.

« Molneragium molendini de Crocheto emit Moyses monachus a Hermanno molendinario, concedentibus participibus molendini illius, scilicet Gofredo de Nivello et Legarde majorissa, tunc molendinum illum tenentibus. Affuerunt testes : Hugo Rufus, Goffredus Rufus, Renardus de Castro; Gascius, filius ejus; Teobaldus miles, Paganus de Bovelca, Goffredus Dordan, Herlebaldus; Fulcherius et Tenguinus pelliparii. »

XII.

De orto juxta molendinum de Crocheto, ab Ivone Willelmi sancto Romano dato.

« Ivo, filius Willelmi, pro uxore sua, que erat infirma, dedit sancto Romano unum ortum juxta molendinum de Crocheto, concedentibus matre sua Roscia, et fratre suo Tronello; audiente Eustachia. Affuerunt : Hugo Brunellus, Guido presbiter, Odo de Buris, Paganus de Bovelca, Matheus Goetus; Goffredus, filius Mainardi; Rogerius de Calceia, Landricus de Bone Valle, Picardus de Barra; Hubertus, filius ejus; Robertus Allec. »

XIII.

Quomodo Moyses monacus molendinum de sub Domnam Petram, cum uno hospicio, emit ab Odone de Floreio, uxore et filiis et fratre suo et Jagelino concedentibus.

« Molendinum novum, qui est subter Domnam Petram, et terram ad unam hospitatem ibidem, emit Moyses monachus ab Odone de Floreio, concedentibus uxore sua et filio suo Fulcone, et filiabus suis, et fratre suo Rainaldo. Affuerunt testes hii : Hugo de Brueria, Paganus de Bovelca, Hugo Rufus, Gislebertus dapifer, Fulcherius pellipartius, Letaldus de Domna Petra, Goslenus Cornu Capre. Hanc venditionem concessit Jagelinus, de cujus feodo erant et molendinus et terra, ante Eustachiam. Ad istum concessum affuerunt : Alcherius de Aloia, Picardus de Barra, Gaufridus Rufus, Guido presbiter; Raherius, famulus monachorum. »

XIV.

De platea ante ecclesiam sancti Romani a Gisleberto dapifero et Odone de Buris data.

« Gislebertus dapifer et Odo de Buris dederunt sancto Romano unam plateam ad domum faciendam ante ecclesiam sancti Romani, concedentibus uxoribus eorum et infantibus. Affuerunt testes : Matheus

Goetus, Fulcherius pelliparius; Fulcherius, filius Danielis; Herbertus Escherpit, Tenguinus pelliparius, Harduinus Bucca Stulta. »

XV.

De arpenno vinee a Raintrude sancto Romano dato, et filie ejus ad unum modium vini de censu concesso.

1079-1101. « Notum esse volumus, tam presentibus quam futuris, ego videlicet Eustachius abbas et omnes monachi sancti Petri Carnotensis, quod quedam mulier, Raintrudis nomine, pro remedio sue anime, unum vinee agripennum sancto Petro sanctoque Romano, apud Castrum Braiacensem, nobis reliquit. Nos vero eum concedimus filie ejus, tali quidem pacto, ut, singulis annis, unum vini modium, quandiu V modii fuerint in predicto agripenno, semper habeamus in censu. Quod si nisi unum modium solummodo habuerit, medium semper habeamus. Testes hujus concessionis hic annotare curavimus. Ex nostra parte [1]. »

XVI.

De terra Gaufridi Bastard, ab Erardo de Vilabon et uxore sua Legarde sancto Romano data, et a Pagana de Mori Villa et liberis ejus concessa.

« Harum litterarum noticia et presentibus et futuris notum esse volumus, quod Erardus de Villa Bona et uxor ejus, Legardis nomine, dederunt sancto Petro et ecclesie sancti Romani de Braio terram Gaufridi Bastardi de Rupe, hoc totum scilicet quod in dominio habebant, pro anima Hugonis de Mori Villa, fratris uxoris supra nominati Erardi. Hanc donationem concessit Pagana de Mori Villa, et filii ejus, Gunherius miles et Guillelmus clericus. Hujus doni et hujus concessionis testes fuerunt : Girardus Hartemala; Ivo, Garinus, milites; Gaufridus, filius Hugonis de Labrueria; Gaufridus Gorreis; Rainaldus, filius Teobaldi; Landricus famulus. Isti ex parte Erardi

[1] Desunt in Cod. nomina testium.

fuerunt. Ex nostra parte fuerunt : Robertus Sine Vaccis, Landricus faber, Herveus piscator; Rainaldus, filius Willelmi; Secardus, Hernaldus pelliparius, Gaufridus famulus. »

XVII.

Quod Arnulfus Maleserbes totius possessionis sue ecclesiam nostram heredem fecit.

« Ego Arnulfus Maleserbes notum volo fieri universis Dei ecclesie cultoribus, quatinus, pro remedio anime mee et parentum meorum, et pro amore domini mei Landrici, qui apud Carnotum monachilem habitum sumpserat, cui ibi diu usque ad mortem deservivi, donavi ecclesie beati Petri Carnotensis me in primis et omnia que possidebam, tam in terris quam in censibus et in decimis. Hanc igitur donationem recognovi et affirmavi coram domno Willelmo Goeto, et Eustachia, uxore ejus. Audientibus : Hugone de Toriello et Landrico et Goffrido et Fulcoio, filiis Landrici prioris; et Erlebaudo, cognomine Querco; Landrico de Bona Valle, Roberto monetario, Goffrido Dordan, Willelmo fabro, Goffrido fullone; Rainaldi, filii Willelmi; Raherio, serviente monacorum sancti Romani. Hec itaque recognitio facta est tempore Moysi monachi. »

XVIII.

Quod Mainardus Minterius, concedentibus uxore sua et filiis et filia, partem decime, quam de vineis monacorum habebat, sancto Romano concessit.

« Rainardus [1] Minterius, concedente uxore sua Gila et filiis suis, Huberto atque Girberto, et filia Ermengarde, illam partem de decima, quam tenebat de propriis vineis monacorum, concessit sancto Petro atque sancto Romano, pro remedio anime sue. Hii sunt testes : Guido presbiter; Hugo Brunellus, presbiter; Willelmus faber, Hermannus molendinarius, Hubertus pelliparius, Tebertus Minterius; Normandus, filius Alberti de Monte Gastello; Gilduinus clericus. »

[1] In titulo, *Mainardus*.

XIX.

Quod Gislebertus de Braio calumpniam de terra Favrilium et de duobus jugeribus, apud Trembleiam sitis, factam dimisit.

Anno 1111. « Notum sit omnibus hujus loci presentibus et futuris habitatoribus, quod ego Gislebertus de Braio calumpniam illam, quam injuste faciebam monachis sancti Romani supradicti castri, de terra Favrilium et de duobus jugeribus apud Trembleiam sitis, injuste illatam, ab hodierno die remitto, Deoque [1] sancto Romano rectitudinem facio. Actum est hoc apud Braium, anno MCXI° ab incarnatione Domini, indictione IIIIª. Quod viderunt et audierunt testes hii : domna Eustachia, Hugo de Brueria, Gaufridus fullo, Hubertus pelliparius et alii plures. »

XX.

Quod Guatho de Braiolo concessit sancto Romano quicquid ei de fevo suo daretur, Rainaldo nepote suo et Emmelina concedentibus.

« Notum et percognitum omnibus habeatur, Gaschonem de Braiolo, assensu nepotis sui Rainaldi et neptis sue Emmeline, sororis ejusdem nepotis, et omnium qui poterant calumpniari, concessisse ecclesie sancti Romani quicquid de fevo suo eidem ecclesie dari contigerit. Et, ut donum certius confirmatum ad posterorum noticiam transferretur, testium opitulationem huic inseruimus scripto, videlicet : Roberti, ejusdem militis; Richerii, filii Comi; Roberti Goeti, Odonis Brunelli, Herberti de Esardis, Ganioth militis, Roberti de Unverro; Ansoldi, ejusdem filii; Lamberti Inferni; Theobaldi, filii Gauterii; Hugonis, filii Grimaldi; Johannis pelliparii, Fromundi Comi, Gaufridi Leporis, Gaufridi famuli, et alii plures. »

[1] Suppl. *et*.

XXI.

Quomodo molendini de Capella Regia a multimodis impedimentis, per Hugonem et Herbertum factis, fuerunt liberati; quove modo a Hugone et Landrico, a Gaufrido legis docto, cum uxore et liberis suis, terra stagni eorundem molendinorum concessa sit.

In hoc capit. descripta sunt instrumenta quinque :

Primum actum *apud Braio* IV° *kal. novembr.; Carnotum* III° *kal. ejusd. mensis anno* MCIV, *indict.* XII; cujus testes sunt domna Eustachia; Robertus, filius ejus; Chotardus prepositus; Stephanus, Moyses, Ebroinus monachi; Salomon major, Adventius miles, Adventius sartor, Odo pistor, Gauterius cocus, Johannes cocus, Alo ortolanus, Richardus portarius, Durandus pistor, Petrus excuba, Rainaldus lavendarius, Petrus sartor, Fulcherius piscator; Johannes, major de Bosco Medio, etc. 29 et 30 oct. 1104.

Secundum actum *apud Montmirail* XI° *kal. febr.* (1105); cujus testes : Stephanus monachus, Coihardus prepositus, Odo potarius; *Carnotum* testes : Ivo, episcopus Carnot.; Willelmus, abbas sancti Petri; Milo, Odo, Andreas, Fulco, Raimbaldus, archidiaconi; Ernaldus decanus, Hilduinus precentor, Warinus succentor; Landricus, Hugo, Gerorgius, Albertus, canonici; domnus Nivelo, Robertus Aculeus; Hugo, vicecomes Castri Duni[1]; Rainaldus de Piscariis, Raimbaldus Cratonis, Raimbaldus Monoculus. 22 jan. 1105.

Tertium actum *apud Carnotum* III° *idus maii; apud Braio* XVII° *kal. junii anno* MCV, *indict.* XIII, in quo inter plegios nominantur : Gaufridus coriarius, Herbertus de Alneto, Giraldus decanus, Vitalis molendinarius, Bernardus de Arresis, etc. Testes : Hugo de Brueria, Gaufridus de Nuigli, et quamplures alii. 13 et 16 mai 1105.

Quartum actum *apud Braio in claustro sancti Romani anno* MCVI, in quo testes inscribuntur : Albertus de Gisiaco, Raherius de Braio; Gaufridus, filius Gauterii coci; Radulfus de Nantilliaco, servientes; Rainaldus de Boscello, etc. Anno 1106.

Quintum actum eodem anno, *apud Castrum Dunum* Testes, etc. *Apud Carnotum*, testes : Hubertus de Ferteia, Gaufridus Bencirasus, Gaufridus clausor, Rainaldus ablutor, etc. *Apud Castrum Dunum,* testes : Raimundus sestararius, Gaufridus de Porta, Warinus de Arreis, etc. Anno 1106.

XXII.

Cyrographum inter nos et Ursonem, donum et conventiones de Bosco Rufini, ab ipso nobis, concessu uxoris et filii et soceri sui Jeremie, communicato, comprehendens.

« . . . . Notum fieri volumus, nos sancti Petri Carnoti monachi, quia, eo tempore quo domnus Willelmus huic nostro monasterio abbas presidebat, domnus Urso, filius Nivelonis, in capitulum 1113-1129.

[1] De Hugone illo, nullum ad hoc tempus documentum innotuerat recentius, quam charta quædam Majoris Monasterii, anni 1101. Quantum ad ejus orig., vid. supra, p. 228, not. 2.

nostrum veniens, ecclesie nostre in elemosinam dedit dominium totius ejus terre que Boscus Rufini appellatur, cum omni bosco; preter duas carrucatas terre, quas domnus Jeremias de Insula, cum sex agripennis ex ipso bosco appratandis, monachis de Tyrone[1] antea dederat. His itaque exceptis, cetera omnia predictus Urso ecclesie nostre ita libere et quiete possidenda donavit, ut et dominatus et justicia ejusdem terre et omnes hospites, quotquot nobis in ea mittere placuerit, cum hospiciis et curtillis, censu quoque ad eadem hospicia et curtillos pertinente, et cum omnibus eorundem exitibus, nostra propria libere et quiete, sine retinaculo aliquo vel calumpnia, perpetuo existant. Nam decima, cum omnibus que ad ecclesiam pertinent, juris ecclesie sancti Leobini de Arro ab antiquo fuisse cognoscitur. Unam nichilominus mansionem, qualem et ubi delegerimus, cum terra ad unam carrucam et pratis sufficientibus, ab omni consuetudine liberrimam, nobis in eadem terra predictus dator concessit, alia sibi mansione sequestrata lege consimili; excepto quod eam nec vendere nec dare nec hospites in ea mittere poterit, sed suo tantummodo proprio usui habere. His ita determinatis, solummodo in eis que secuntur medietatem sibi domnus Urso retinuit : hoc est in terragio, in censu pratorum, et, quandiu ibi boscus fuerit, in pasnagio porcorum. De quibus scilicet, si quando hospites forisfecerint et querimonia in clamorem proruperit, non nisi in curia judicioque nostro, sive super terram ipsam sive apud Arro, ventilabitur, satisfactura V solidos nunquam excedente quantalibet forisfactura sit; de quibus tamen monachus noster quantum voluerit remittere poterit, et quod remanserit, cum domno Ursone equaliter partiendum habebit. Servientem quoque suum, in his que, sicut dictum est, nobiscum sibi communia retinuit, domnus Urso, si voluerit, sicut et nos nostrum, habebit; et tam suus nobis, si voluerimus, quam noster illi, si ipse voluerit, serviens fidelitatem jurabit. Vocatus ab agricola, terragiator noster ad hospicium terragiatoris domni Ursonis veniens, si eum invenerit et ille venire voluerit, cum eo terragiatum ibit; si vero ille, aut quesitus in hospicio suo inventus non fuerit aut inventus venire

[1] Tyronensis monasterii institutio incidit in annum 1113.

noluerit, terragiator noster nec eum alias queret nec ad terragiandum expectabit; sola manu sua quod eum quesierit probaturus, si, de eo quod sine se terragiatum fuerit, terragiator illius clamorem fecerit. In granea nostra terragium adunabitur, triturabitur et partietur. Testes ex nostra parte : Garinus tanator, Bernerius, Durandus Mansellus, Odo Surellus, Lambertus tanator, Osbertus pellifex, Durandus pistor, Robertus major, Hugo Esclenchier, Ricardus Gueta, Teobaudus, Gaufridus cellerarius, Ricardus hostiarius, Hubertus, Giroldus faber, Ernaldus botarius. Ex parte domni Ursonis : Philippus, filius Roberti Flagelli; Willelmus Ansoldi, Gauterius Bretel, Ivo de Baignolis, Garinus. Concessit hoc et apud Fractivallem Beatrix, uxor ipsius Ursonis, et filius amborum Nivelo. Affuit, ex parte eorum, Matheus Potiron, Raimundus Angot, Hugo Mengarin; Moyses, serviens eorum; Johannes de Balen. Ex parte nostra : Fulcherius, Robertus Dodonis, Rainerius, monachi; Gaufridus famulus, Gilo de Bovechia; Goscelinus, filius Odonis de Buris; Ogerius de Bosco Medio, Bernardus, Herbertus Roberti Sine Vaccis, Herveus piscator, Teobaldus. Vindocinis, concessit hoc Jeremias et Rainaldus de Turre, filius ejus; Philippus, Bartholomeus, Hugo, Hamelinus, Fulcherius, filii ejus; Helvisa, uxor ejus; Helvisa et Aanor, filie ejus. Ex parte eorum affuerunt testes : Lancelinus de Undo, Matheus Potiron, Hugo semiclericus, Burchardus de Meoli, Aufredus pellifex. Ex parte nostra supranominati testes affuerunt. »

XXIII.

Quid consuetudinis Willelmo Goeto in hospitibus de Bosco Rufini, pro ejusdem ecclesie concessione, concessum sit.

« Harum litterarum noticia tam presentibus quam succedentibus notum fieri volumus, quod Willelmus Goetus Boscum Rufini, qui de feodo ejus erat, nobis monachis sancti Petri Carnoti concessit ad possidendum, ad excolendum, ad hospitandum. Nos vero monachi, pro defensione et protectione hospitum ipsius terre, concessimus ei ut, quicunque hospitum terram illam inhabitaverit, et terram illam cum carruca et bobus excoluerit, solvet ei, per singulos annos, tercia

die natalis Domini, apud Braiocum, sextarium avene et caponem et nummum; alii, tantum minam avene et caponem et nummum. Hoc vero facient per submonitionem et justiciam monachi; per justiciam vero et submonitionem servientium suorum, neque istud neque aliud facient. Concessimus et domno Willelmo, quod, si ipse filiam suam, quam tamen de uxore sua habuerit, maritare voluerit, vel si castrum emerit, talliam in hospitibus terre illius facere ei licebit, per manum tamen prioris sancti Romani; simili modo et pro redemptione sua, si ipse captus fuerit, facere ei licebit. Item, si ipse in expeditione regis vel comitis, cum omni gente sua, ire voluerit, homines terre illius, pro custodia corporis sui, ducere poterit, si ei placuerit : homines tamen illi absque presentia corporis ejus nusquam ibunt. A ceteris autem consuetudinibus, quas in terra sua vel hominum suorum ipse capere solet, omnino liberos et absolutos, sicut et ceteros homines sancti Petri, eos esse concessit. Concessit etiam nobis domnus Willelmus, quod hunc censum, quem in hominibus istis retinuit, nunquam ei liceret vel dare vel vendere vel aliquo modo de manu sua emittere; quod si faceret, ad nos reverteretur. Ex parte sua affuerunt : Rotrocus de Bosco Medio, Gulferius de Brueria, Gaufridus de Exarto. Ex nostra : Gaufridus de Arron, Gaufridus famulus. »

XXIV.

Quomodo majoratus terre de Bosco Rufini Gaufrido de Arro concessus sit.

1101-1129. « Quia humane memorie natura ea esse cognoscitur, ut omnia que potest capere non semper possit retinere, ego Willelmus, sancti Petri Carnoti abbas, litterarum harum noticie mando, quia, capituli nostri assensu, Gaufrido de Arro majoratum terre de Bosco Rufini, quam nobis domnus Urso in elemosinam dederat, concessi, eumque, secundum pacta que subscripta sunt, de eodem majoratu in capitulo nostro investivi; terram ad unam carrucam de eadem terra, convenienti loco, ei delegavi; ita tamen, ut de medietate terragii ejusdem carruce ad domnum Ursonem respiciat. Gannos suos et districturas in eadem terra habebit; ita tamen ut districtura XX denarios nunquam excedat. Placita causarumque discussiones omnes ante monacum,

qui eidem terre prefuerit, adducet, et, ad voluntatem monachi jussionemque omnia placita adterminabuntur, differentur, discutientur vel definientur, districture sue jure in omnibus salvo; ita tamen, ut super terram, posteaquam monacus in ea mansionem habuerit, placita fiant; interim vero apud Arro. Si Gaufridus prepositum terre monacum placita nimiis dilationibus adnullare velle senserit, ad priorem Braioli sive ad domnum abbatem reclamare licebit, et emendare faciet. Quandiu in terra boscus fuerit, sibi et hominibus suis de Arro, ad hospitandum tantum, boscum, et, ad porcos suos, pastum libere et sine pasnagio habebit. Capream, vulpem et catum, apem de ramo, quandiu inibi boscus fuerit, si ipse Gaufridus ceperit, sua erunt; si de hospitibus aliquis, dimidia habebit; si vero aliquis de hospitibus aliquam de supradictis bestiis captam celaverit, et hoc Gaufridus deprehendere et probare potuerit, plane et sine lege eam integram exiget recipietque. Juxta hec pacta, ego Willelmus abbas, de majoratu terre de Bosco Rufini, sicut dictum est, Gaufridum de Arro investivi; ipse vero michi hominium et toti capitulo nostro fidelitatem legitimam fecit. Memorandum quoque, quia Gaufridus quem voluerit servientem in eadem terra habebit : de omni autem forisfacto quod fecerit serviens G., tercio ammonitus, si non emendaverit, ejiciatur serviens. Hujus rei testes sunt : Johannes de Secureto, Auscherius de Monceolis, Teobaldus de Rupe, Garnerius Oculus Canis, Girardus de Scola, Ernulfus Haton, Garinus Pungens Bovem, Bartholomeus. Hii ex parte Gaufridi fuerunt. Ex parte monachorum : Gaufridus famulus, Johannes major, Robertus major, Ernaldus Bereum, Odo Leodegarii, Garinus, Gislebertus Laurentii, Durandus, Gaufridus Grenet, Matheolus, Chotardus. »

XXV.

Quod Odo Brunellus medietatem presbiterii ecclesie de Evorea, cum una oscha terre, nobis dedit; concedens insuper quicquid de decima ad feodum suum ibidem pertinente nobis daretur.

« In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Odo Brunellus, pro remedio anime mee et parentum

meorum, concessi monachis sancti Petri Carnoti medietatem presbiterii de ecclesia Eure, post obitum Hugonis avunculi mei, et oscham ad faciendum domos monachis. Et hujus rei testes sunt : Guillelmus Goetus junior et Robertus frater ejus; Hugo de Brueriis, Gervasius Gulafras, Hubertus de Essarz, Guillelmus de Platea, Paganus Pesaz, Benedictus, Johannes major, Gaufridus famulus. Super hoc concessit nobis quicquid dabitur de decima sue partis, ab hominibus qui de eodem Odone tenent eam in feodo. Videntibus istis et audientibus : Raherio de Sessaz, Pagano de Brechia, Roberto de Uno Vitro; Odone, filio Parve; Girardo rasore, Hildrico; Rainaldo, filio Guillelmi; Gaufrido famulo, Willelmo de Bosco Medio. »

XXVI.

De decima de Bosconvillari et de Dompna Petra a Gosleno et filiis ejus nobis dimissa.

Circa a. 1111. « .... Ego Goslinus decimam de Bosconvillari atque de Domna Petra, quam hactenus injuste et culpabiliter tenuisse me confiteor, assensu filiorum meorum Gaufridi et Gisleberti, consopitis omnibus ex nostra parte querelis, sancto Petro Carnotensis cenobii, sub his testibus quorum subscripsimus nomina, jure perpetuo hereditarioque derelinquo : Girardo rasorio, Hildrico milite, Willelmo fabro, Fulcherio pellipario; Gaufrido, Mainardi filio. »

XXVII.

De decima de Monte Rahardi, partim ab Odone partim ab Ernaldo nobis data, et a Petro et Ernaldo fratribus nobis concessa; simulque de censu et decimis ab Ernaldo Pertuis datis prius et postmodum invasis et redditis.

« .... Odo Hardret.... decimam de Monte Rahart, quam a corpore ecclesie sancte abscisam, more parentum suorum, quasi proprio jure sibi mancipaverat, pessima violentique proprietate eam se nunc usque possedisse fatetur.... Itaque.... non solum prefate decime, sed et omnium rerum que suam partem contingunt, uxoris sue Odeline et Rainaldi filii sui assensu, sanctum Petrum, calumpniosis extinctis incur-

sibus, facit heredem.... Quos presentes huic dono testes habuimus nominatim subjunximus : Hugonem de Brueria, scilicet; Guasconem de Castello; Ivonem, filium Radulfi; Geroardum, Adelelmum carpentarium; Hubertum, filium Andree; Joscelinum, filium Willelmi carpentarii; Richardum fabrum, Willelmum fabrum, Guterium Rufum, Odo Buriis et plures alios.

« Sequitur aliud donum de quarta parte hujus decime supranominate ville, scilicet de Montrahart, quod, presentibus et videntibus istis, in ecclesia sancti Romani, nobis, matre sua annuente, Ernaldus Puer, filius Roberti Hardrei, dedit; scilicet : Pagano de Bovechia, Teobaldo, Galquelino; Aniano cordubanario et Willelmo, filio ejus, et Willelmo fabro; Roberto trapezeta; Fulcone, filio Gunterii et pluribus aliis. Ex parte illius isti fuerunt : Judichellus presbiter et Galdricus laicus. Hoc donum, sicut scriptum est, concessit mater pueri Hermentrudis et soror ejus Girberga. Hoc donum suprascriptum concessit Petrus Cochardus et Cicilia, uxor ejus, et Ernaldus, frater ejusdem Petri, et uxor ejus Barbota, in ecclesia sancti Romani, coram domna Eustachia, et Ivone milite de Brueria, et Roberto de Montguien; Lamberto et Odone Burnel, et Rainaldo Fortin; Aem cordubanario et Odone filio ejus; et Pagano, filio Haimar; et Roberto monetario, et Garnerio fornerio. Hoc idem concessit Joscelinus, filius Raherii, et Jordanus, filius ejus, de quibus hanc supradictam decimam habebat, et Gazo de Braio, de cujus fevo erat totum hoc. Presentibus et videntibus istis : Roberto Goet, Galterio de Losvilla, Gilone de Boechia; Roberto, milite Gaszonis; Gaufrido Mainart, Rainaldo Willelmi, Heldrico, Gaufrido famulo. Et de eadem ecclesia reliquit nobis Ernaldus Pertuis et Barbota, uxor illius, quicquid in censu et in decimis habebat; et hii sunt testes : Paganus de Boechia, Cochardus, Robertus de Uno Vitro; Ansoldus, filius ejus; Odo de Uno Vitro, Odo Hardret, Lambertus de Monte Rahardi, Richardus faber. Et hoc concessit Petrus Cochardus, frater ejusdem Ernaldi et Sizilia, uxor illius. Hujus rei testes et auditores : Gazo de Uno Vitro, Droco Espechels, Heldricus, Richardus faber, Herveus piscator, Rainaldus Willelmi, Hemericus cinereus, Hugo Grimaldi, Comus, Gaufridus famulus.

« Post multum vero temporis predictus Ernaldus Pertuis et Barbota, uxor ejus, supradictum censum calumpniati sunt, et quandam decimam nostram de Bufeiot, quam Gaufridus Hercedroe, concedentibus eodem Ernaldo Pertuis et Petro Cochart, nobis dudum donaverat, saisierunt. Propter quod, ab ecclesia ad justiciam submoniti et vocati, et, cum adquiescere nollent, excommunicati, ad extremum resipiscentes et culpam suam recognoscentes, de injusta saisina vel calumpnia, coram multis testibus, in presentia domne Eustachie, in manu prioris Huberti satisfecerunt; hoc ipsum etiam in domo nostra, coram quibusdam monachorum nostrorum, fecerunt. Testes : Rabinus presbiter, Herbertus clericus, Patricus; Robertus Perdriel et Cherot, uxor ejus; Ansoldus Travers, Secardus, Richardus Faber; Rainaldus, frater ejus; Ernaldus pellifex, Papinus, Gaufridus famulus. Ex parte Ernaldi : Petrus Cochart, Willelmus Tronel. Hoc totum factum est, presente et concedente filia ipsius Ernaldi, Sarracena nomine. »

XXVIII.

De medietate molendini Osmundi a Girardo de Blavo et uxore ejus nobis data.

« Donum de medietate molendini Osmundi quod dedit nobis Girardus de Blavo et Belot uxor ejus, pro anima domni Guillelmi Goeti. Cujus doni sunt isti testes : Robertus Goet, Hugo de Brueriis, Raherius de Essart, Gervasius Golafras, Gaufridus de Essart; Gazo, frater ejus; Robertus Riscenda, Roaldus. »

XXIX.

Quod Bernardus Escornart totius hereditatis sue ecclesiam nostram heredem fecit.

« .... Bernardus Escornardus cum uxore sua, despiciens mundum, ex propria hereditate et redditu ejus hereditavit ecclesiam beatissimi Petri et sibi servientes, et proprie ad opus monachorum ecclesie sancti Romani deservientium. Hujus rei testes : Adam Brunellus, Eustachia,

Gualterius caprerius, Odo cordubanarius, Gaufridus fullo, Lambertus Infernus, Guillelmus cementarius, Paganus Grimaldi, Gaufridus de Fonte, Secardus, Rogerius sutor, Rabinus clericus. Et hoc donum tali pacto Bernardus Escornardus dedit, quatinus monachi sancti Romani, si necesse fuerit, sibi et uxori darent aliqua necessaria. »

XXX.

Quod Galdinus, calumpniam ecclesie et decime de Stelliolis dimittens, quendam boscum ibidem nobis donavit; concedens unum arpennum terre ibidem nobis datum ab Alberto.

« Notum sit omnibus tam presentibus quam futuris, quia ego Gualdinus, filius Guarini Gaudini, calumpniam, quam ego hactenus injuste feci monachis sancti Petri Carnoti de ecclesia Stellionum, omnino dimisi. Recognoscens igitur eorum justiciam et meam injusticiam, satisfeci monachis apud Braiocum, in ecclesia sancti Romani, et supradictam ecclesiam et totam decimam ad ipsam ecclesiam pertinentem libere et absolute ipsis monachis possidendam, sicut antea possederant sancti Romani, reliqui. Ipsi vero monachi concesserunt mihi medietatem hospitum et medietatem furnagii ipsorum hospitum qui ibi habitabunt. Concesserunt etiam mihi quandam terram, quam ipsi emerant a quodam servo meo absque permissione nostra; tali tamen conditione, ut, si eam dare vel vendere vellem, non possem nisi ipsis monachis. Ego vero dedi ipsis monachis, pro supradicta terra, quendam boscum positum juxta ipsam terram. Hec omnia supradicta ego Gualdinus, sicut superius dixi, et concessi et feci, in ecclesia sancti Romani, presente domna Eustachia et Roberto, filio ejus, et presentibus monachis Moyse, et Fulcherio priore et aliis. Ex parte Galdini : Robertus Gurnun, Botherius, Gaufridus Infernus, Rogerius armiger. Ex parte monachorum : Herveus piscator, Richardus faber, Gaufridus famulus, Secardus, Hugo Grimaldi, Robertus Goth, Teobaldus. Concessit etiam hec omnia supradicta Pagana, soror Gaudini, apud Montem Grethan, audiente Moyse monacho et Roberto Gurnun et Gaufrido famulo. »

« Apud eandem ecclesiam, Albertus quidam, famulus Gaudini, pro anima patris sui, dedit monachis agripennum terre ad caput ecclesie. Hoc donum concessit, immo vero dedit Gaudinus et Pagana, soror ejus, presente patre suo Garino Gaudino et patruo suo Roberto Gurnon, et presentibus monachis Moyse et Fulcherio priore. Donum etiam ipsius agripenni ipse Gaudinus et Pagana, soror ejus, super altare beate Marie in eadem ecclesia posuerunt. Huic rei testes affuerunt : Gaufridus famulus; Moyses, presbiter ejusdem ecclesie; Gaufridus, decanus Nongenti; Teobaldus famulus, Johannes de Stellionibus, Gauterius comes, Herveus, Odo de Pleseit, Rogerius. »

XXXI.

De ecclesia de Lupiniaco, a Richerio, cum quodam prato et duobus juxta ecclesiam terre arpennis, cum toto cimiterio nobis data.

« Omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus pateat me Richerium, Carnotensium cenobitarum societati nuper familiarem effectum, beato Petro, cujus obsequiis jugiter famulantur, pro remedio anime mee antecessorumque meorum, apud Lupiniacum villam, in fisco Alogie sitam, omnem decimam ad me pertinentem et quoddam pratum, cum duobus arpennis dextro lateri ecclesie adherentibus, quantum ad mensuram cimiterii sufficere paterna decrevit auctoritas, ita libere contulisse, ut, omni calumpnia et donatione remota, ecclesiastico more a monachis in perpetuum possideatur; cunctisque meis assensum prebuisse, ut, quicunque ex proprio jure quid vellet ibidem Deo et sanctis, meliore pro recompensatione, largiri, libera sibi facultas permitteretur. De cetero autem, si quis forte, quod absit, hoc beneficium calumpniari vel contradicere presumpserit, cum diabolo et ministris ejus, nisi digne satisfecerit, judicium incurrat dampnationis. Verumtamen, ne unquam hoc contingere queat, hanc inde cartulam scribere precepi, quam ipse ego manu mea, et ceteri quorum subnotantur nomina, impressis signis, corroboravimus. S. Richerii. † S. Petri, filii ejus. † S. Willelmi Vicheriensis. † S. Rainaldi, nepotis ejus. † S. Pa-

gani Brugierensis, quorum assensu donum hoc factum est. S. Rainaldi Carnotensis archipresbiteri. Ex parte monachorum hii affuerunt : Adventius miles, Gunbaldus miles, Fulchardus; Laurentius, cubicularius abbatis; Richardus, Reinardus Herbemale, Gaufredus cocus, Odilarius, Gaudius, Teduinus et alii plures. »

XXXII.

De ecclesia de Lupiniaco a Willelmo de Vicheriis, cum una carrucata terre, nobis data.

« In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Guillelmus de Vicheriis, ordinis videlicet militaris, omnibus sancte Dei ecclesie fidelibus notum esse volo, una cum matre mea Riscende, quia, pro anima patris mei Ernaldi jam defuncti, sive pro remedio tam mee quam matris anime, per deprecationem Willelmi monachi, sancto Petro apostolorum principi cenobii Carnotensis, quod situm est non longe a menibus urbis, directa donatione libens concedo quandam ecclesiolam in Pertico, ab antiquis temporibus in honore beatissimi Baptiste Johannis constitutam, nunc vero externis atque socialibus bellis ita adnullatam seu in solitudine redactam, ut vix incola in adjacenti parrochia inveniatur, sacerdos nullus qui semel vel bis in anno sacra misteria celebraturus in eadem ecclesia ingrediatur. Unde fit, nisi signum ecclesie daret cubus altaris in ipsa permanens, magis pauperis hominis edicula quam christicolarum ecclesia ab ignotis esse videretur. Pro qua re a domino nostro, nomine Hamelino, persepe deviari [1], ex cujus beneficio eandem ecclesiam cum aliis rebus, in loco qui, a frequenti luporum infestatione, Lupiniacus vulgi sermone vocitatur, possidere videor, persepe ammonitus, et deprecatus a Willelmo supradicto monacho, sicut jam dixi, beato Petro apostolo ipsam ecclesiam dedi, et donum super altare ipsius posui, ut, ab hac die in antea, monachi in ejus cenobio degentes habeant et possideant hereditario jure. Concedo etiam terram unius aratri, non longe ab ecclesia,

[1] Hæ duæ voces, quæ sensui officiunt, expungendæ videntur.

et hanc cartulam facere jussi, ut, si quis huic donationi contradicere aliquando voluerit, auctoritate ejus et personarum[1] quorum nomina subscripta sunt convictus et confusus, abscedat. Willelmus de Monteboone, Chotardus, Bernardus de Buslo; Rodulfus, filius Hungerii; Gaufridus, filius Radulfi et alii quamplurimi. Ex nostra parte : Teduinus et Gaudius fratres; Herbertus et Guarinus pistores; Girardus, Gaufridus et Ingelbertus coci; Laurentius cubicularius, Rainaldus agaso, Gauterius; Radulfus, Adventius sartores; Adventius, Frodandus, Ernulfus Niger, Ernulfus Rufus. »

XXXIII.

Chartam quæ hic exscripta est edidimus supra, part. I, lib. VIII, c. XVI, p. 244. Tres vero lineæ quas in vet. Agan. legere nequiveramus, hic ex Codice Argent. suppletæ sunt.

« Quod si, in ipso atrio, quod damus sancto Petro monachi ad habitandum hominibus dare voluerint, videlicet quod superfuerit habitationibus suis, partiantur cum filiis meis. »

XXXIV.

Quomodo Lambertus, cum matre et fratre et sororibus suis, capellam de Fonte Mellani, cum omnibus minutis decimis et tercia parte annone, nobis dedit.

« .... Ego Lambertus et Hildegardis, mater mea, et frater meus Herbertus, et sorores mee Richeldis, Odelina, Fulcreia, concedimus, pro remedio animarum nostrarum et parentum nostrorum, capellam de Fonte Mellani et omnes minutas decimas et terciam partem annone monachis sancti Petri Carnotensis cenobii; et tali pacto, quod, cum frater meus ad annos in quibus ordinetur pervenerit, ipse, eodem modo sicut alii sacerdotes, capellam supradictam teneat; et si ibi, pro paupertate loci, vivere nequiverit, monachi dabunt ei unam de suis ecclesiis in qua vivere possit et ad ordines presentabunt. Super hoc autem, concessimus quicquid de pisciculo de Basochia, qui partem habet in decima, habere poterint. Hujus rei testes sunt : Ansgotus,

[1] Hoc sensu, vox *persona* plerumque genus masculinum usurpat.

avunculus ejus; Joscellinus Borrellus, Odo Botleures, Morellus, Landricus prepositus, Arraldus Claudus, Benedictus Mulot, Ogerius. Ex parte monachorum fuerunt isti : Willelmus de Bosco Medio, Hugo de Belche, Raimbaldus de Villa Ester, Heldricus, Bernardus mediator, Ogerius; Garinus, filius Fulcherii; Ernulfus Piot, Paganus Machans. Et si Lambertus venerit Braico, in anno semel vel bis vel tribus vicibus, cum duobus vel tribus sociis, habebit procurationem convenientem, et, in assumptione sancte Marie, unam candelam et unum panem, pro recognitione sui doni. »

XXXV.

De decima Estilie a Huldrico de Montdulcet cum dimidio molendino nobis data.

« .... Ego Guillelmus abbas et tota congregatio fratrum Carnotensis 1101-1129.
cenobii, noticie tam presentium quam sequentium palam esse volumus, quod quidam miles, Haldricus scilicet de Monte Dulcet, adiens nostram presentiam, consensu et voluntate uxoris sue, nomine Domeline, ibi presentis, dedit nobis in elemosinam parum decime quam habebat in Pertico, apud villam que vocatur Estilie, propriam; et eam decimam, quam sui homines ab eo ibi tenebant, concessit quod adquireremus si possemus. Insuper etiam dixit, quod habebat quandam aream veteris molendini, quod ipse debebat restaurare ad presens, inter se et Moysen monachum nostrum; quod dum fecisset, medietatem ejus eodem modo nobis dedit in elemosinam, et ita quod molendinarium possemus in eo mittere et tollere sicut ipse, et in aqua piscari quandocunque vellemus, sine ejus licentia. Filiis autem suis parvulis, qui domi erant, promisit quod faceret illud concedere; quod et fecit paulo post. Ob hujus beneficii largitionem, accepit a nobis suffragia orationum et alia beneficia que fiunt in monasterio, ipse et uxor sua supradicta; et Gaufridus, miles de Obstrusum; et Gorhandus, armiger ejus; et quedam mater familias, Maria nomine, cum Burgundio, filio suo, qui adfuere. Interfuerunt etiam de famulis nostris : Gaufridus, Gilduinus, Galterius cocus, Doardus pelliterius; Petrus, camerarius abbatis; Gaufridus Boschet. »

XXXVI.

Quod Hilduinus de Alogia calumpniam de terra de Novo Manso et de Lupiniaco, cum quadam decima, nobis dimisit.

« Ego Hilduinus de Alogia, ob scelerum meorum veniam adipiscendam, omnem calumpniam quam monachis sancti Petri Carnotensis hactenus ingessi, de quadam unius carruce terra, quam, apud Novum Mansum, ex dono Ingelgerii Rufi, dudum acceperant, penitus dimitto. Sed et aliam ejusdem mensure terram, prope Lupiniacum, in loco qui Ductus dicitur, a Teobaldo Dolardo et a Willelmo de Uno Vitro et Frogerio venatore eis attributam, quietam habere permitto. Insuper et quartam partem totius decimationis, ad villam que Mercasius dicitur pertinentis, sancto Petro et monachis ejus in perpetuum possidendam concedo; reliquam vero decimam ejusdem villule, cum ista, quocunque voluerint licenter deferant. Et ne de his amplius calumpnia oriretur, hanc cartulam, testimonii causa conscriptam, cum uxore mea et filio, propria manu subterfirmavi, et domino meo Willelmo et uxori sue Eustachie corroborandam tradidi, coram obtimatibus eorum et ceteris quorum nomina subterscripta habentur. S. Hilduini. † S. Legardis, uxoris sue. † S. Goscelini, filii ejus. † S. Willelmi principis. S. Eustachie, uxoris ejus. Testes alii sunt : Gatho de Braiaco, Hugo de Toriello; Gaufridus, frater ejus; Hugo Brunellus, Hugo de Brugeria, Raherius de Exarto, Gaufridus, Garinus, Cohardus, Rainardus de Castello, Richerius de Malo Deverticulo, Guido presbiter, Fromundus Loripes, Rainaldus major. »

XXXVII.

Quod Rainaldus decanus medietatem decime de Mesnilio et quicquid habebat in decima de La Forest nobis donavit, propinquis et dominis suis concedentibus, ipso etiam Willelmo Pexo.

« Carte hujus testimonio tam presentibus quam futuris monasterii hujus fratribus innotescimus, quod quidam miles de Braiolo, Rainal-

dus scilicet decanus, ad conversionem ad nos in infirmitate sua, qua et mortuus est, veniens, dedit nobis, pro sua antecessorumque suorum salute, medietatem decime sue de Mesnilio et quicquid habebat in decima de Foresta, concedentibus sororibus suis et Gaufrido de Ermenulfi Villa, marito primogenite. Ubi et quando donum hoc nobis factum fuit, affuit Willelmus Goetus juvenis, qui, una cum matre sua domna Eustachia, donum nobis concessit. Affuerunt etiam hii : Rainaldus decanus, canonicus sancte Marie, avunculus prefati Rainaldi; Gaufridus de Ermenulfi Villa et Richeldis, uxor ejus, soror scilicet Rainaldi prefati; Stephanus, armiger ejusdem Rainaldi; Gaulinus Cornu Capre, Ruallonus Fauchet, Guido presbiter, Balduinus cum uxore sua Odelina. Ex nostra parte : Paganus de Bavochia; Raherius, serviens noster; Rainaldus, filius Willelmi; Herveus piscator. Has decimas, post mortem Rainaldi, diu calumpniavit nobis Willelmus Pexus, eo quod de fevo suo erant et ab eo Rainaldus eas tenuerat; sed postmodum concessit nobis eas, et ipse in capitulo nostro, et filii ejus similiter Willelmus et Garinus, et uxor ejus Beatrix, et Legardis filia ejus, et Comitissa soror ejus. Hoc viderunt et audierunt, ex parte ejus : Durandus, gener ejus; Gaufridus de Ermenulfi Villa. Ex nostra : Gerogius major; Johannes, filius Arroldi de Bevilla; Harduinus secretarius et Robertus corvesarius, et multi alii. »

XXXVIII.

Alia plenior et melior ejusdem ecclesie de Arro carta, continens etiam de invasione decime ejusdem ecclesie Odonis et Hugonis et Gaufridi satisfactionem.

In hoc instrumento referuntur : 1°. donatio Fulcaudi sive Fulcaldi de Arro superius edita [1]; 2°. donum tertiæ partis decimarum eccl. de Arro, unius agripenni prati et terræ duorum boum a Herberto, filio Fulcaldi, factum; 3°. nonnullæ calumpniæ a quibusdam de rebus eisdem illatæ et dimissæ. Testes : Alcherius de Moncellulis; Albertus, cliens ejus; Hugo de Lu, etc.

[1] Vide part. I, libr. VII, cap. LXXXIV, p. 208 sq.

XXXIX.

De decima de Arguenceon a filiis Roberti Aculei nobis data ; primogenito eorum addente decimam de propria ibidem carruca.

« Noverint omnes et presentis et futuri temporis fideles, quod Robertus atque Manasses, filii Roberti Aculei, eundem patrem suum, tandem, senectutis sue tempore, in hoc nostro sancti Petri monasterio monachum factum, sepius, et maxime in ea [1] defunctus est infirmitate laborantem, visitantes, ejusdem sui patris exhortatione atque instinctu incitati, omnem decimam ejus que Arguentiacus dicitur ville, ad quandam, quam in villa cui nomen Speltereole habemus, ecclesiam jure ecclesiastico pertinentem, nobis non ut suam dederunt; sed, ut nostre ecclesie, de cujus parrochia est illa quam supranominavimus villa, competentem, guerpo super altare propriis manibus posito, diu a se quamvis injuste possessam, restituerunt. Quod primogenitus frater eorum Willelmus concessit, et, in concessionis pignus testimoniumque, omnem decimam proprie in predicto loco carruce addidit. Neque enim de propria ibi carruca eatenus decimam dederat, sed jure hereditario sibi eam sed et pater ejus defendebat. Testes : Berengerius, Gaufridus presbiteri; Gaufridus, Fulcherius de Anetho, Theobaudus, Constantius de Sancto Georgio, Christianus, Robertus Gilduini, Doardus Garini furnarii. »

XL.

Quod Joscelinus de Mongeri Villam, cum Willelmo filio suo, quicquid clamabat fevi vel consuetudinis in terra de Miseriaco totum dimisit.

Circa a. 1116. « Ad noticie hujus recurrentes testimonium certi sunt omnes et presentes et futuri fideles, quoniam Joscelinus de Mongeri Villa concessit, et filium suum Willelmum concedere fecit, quicquid terre habemus de fevo suo in Miseriaco, et quicquid clamare in eadem terra

[1] Suppl. *qua*.

poterat, id est vicariam; omnemque, sive exactionis sive supplicationis vel cujuscunque gravaminis, consuetudinem dimisit, nosque ab omni calumpnia deinceps immunes absolutosque clamavit. Quod ex parte illius audierunt qui subscripti sunt testes : Stephanus des Aubers, Robertus Fulconis. Ex nostra parte : Vitalis Palcstel; Petrus, nepos abbatis; Durandus pistor, Gilduinus cementarius, Floherius, Gislebertus Laurentii. »

XLI.

Quod Gunferius calumpniam terre et nemoris de Monticulis, a Gauterio monetario dati, satisfaciendo dimisit.

« Legimus et certum est quia dulcis et suavis misericordia Domini, 1079-1101.
per sanctos et catholicos patres nostros, in via delinquentibus legem dedit non aliena rapere nec concupiscere, et cetera; et, per se[1] ipsam, in victus pauperum et altari servientium, que fragilitati nostre condescendens misericorditer concessit, pro peccatorum expiatione, propria communicare precepit. Hanc igitur legem Gunferius de Vilereto, non solum audiens, sed ad interiora cordis transmittens, opere complevit. Gualterius etenim monetarius terram et nemus de Monticulis, que a Germundo, filio Avesgoti, diu sine omni calumpnia cum pace in feodo tenuerat, sancto Petro, in monachorum usibus, benigne ac legitime contulit, ipso Germundo, et Haimerico patre Gunferii, a quo Germundus tenebat, (Haimericus vero non patrimonio, sed propria emptione adquisierat) volontarie assensum prebentibus. Longe autem post horum trium obitum, Gunferius quod illi pie donaverant calumpniavit. Sed postmodum, recognoscens se male calumpniasse, in capitulo sancti Petri confessus est, dicens quia, quod pater suus propria pecunia emerat, liceret ei, etiam nolentibus filiis, cuilibet dare posse. Quamobrem, domno Eustachio abbati et monachis satisfaciens, ipsorum apud Deum orationes et veniam humiliter postulavit et recepit. De cetero, pro hujus delicti expiatione, auxilium suum in bona volun-

[1] Fort. expungend. vox, *se*.

tate verbo et opere fideliter promisit, his videntibus et audientibus. Ex parte sua : Ebrardo, capicerio sancte Marie; et Hilberto, ejusdem beate Virginis canonico; et Roberto, cognomine Aculeo; et Raginaldo monetario, et Ansoldo Infante, et Gaufrido de Bevilla. Ex parte autem monachorum : Laurentio camerario; et Adventio et Durando, sutoriis monachorum; et Gisleberto, Adventii filio; et Stephano, qui Nullus cognominatur. »

XLII.

Quomodo terra de Anscheri Villa Johanni, canonico sancti Stephani, et duobus nepotibus ejus ad vitam suam a nobis fuerit concessa.

1101-1129. « .... Omnibus igitur notum hominibus, quod abbas sancti Petri monasterii Carnotensis, nomine Guillelmus, totusque ejusdem monasterii conventus quandam terram, que est apud Anscheri Villam, cum his omnibus que in ea possidebant, solutam et quietam et ab omni consuetudinis retentione immunem, Johanni, sancti Stephani canonico, in vita sua dederunt et concesserunt. Quo defuncto, vel si forte mundo renunciaverit ad aliam vitam se transferendo, eandem terram duobus ipsius Johannis nepotibus, videlicet S. et B., utrique, dum uterque vixerit, eorum cuilibet alteri, si forte superstiti, similiter donaverunt; eo tamen tenore, ut, postquam in eorum manum terra successerit, ex ea agrariam annua revolutione sancto Petro reddant; eisque viam universe carnis ingressis, supra nominata terra, cum omnibus in ea constructis et coedificatis, in proprium jus sancti Petri cedat. Ex parte Johannis : Garinus, canonicus sancte Marie, nepos Adelardi decani; Hugo, matricularius sancte Marie, sancti Stephani canonicus; Hilgotus, canonicus sancti Johannis; Robertus, deaconus de Ruella; Stephanus, filius Gosberti servientis; Fulconis sacerdos; Radulfus et Frodo, pellitarii. Ex parte monachorum : Laurentius, Guarterius cocus, Gaufridus cocus; Raginaldus, nepos ejus; Gilduinus cocus; Belinus, frater ejus; Christianus, filius Raginaldi. »

XLIII.

Quomodo Philippa et Ivo de Curva Villa, quinque proceres ipsorum feodati quicquid consuetudinis habebant in Pomeria nobis dimiserunt.

« In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Philippa Curvavillensis et Ivo, filius meus, presentium posterorumque memorie, hujus carte testimonio, assignamus, quia bannum quod a predecessoribus nostris, Ivone scilicet et Gerogio, in villa que Pomeriata dicitur, habebamus, pro eorundem et nostris animabus, concedente domino et patrono nostro Nivelone, domno Eustachio, abbati Carnotensis cenobii, et monachis ibidem in honore beatissimorum apostolorum Petri et Pauli Deo militantibus, pro tenoribus nostris, omni inquietudine absolutum dedimus. Sed et huic memoriali pagine commendari decrevimus, quod Garinus de Friesia, Harduinus Caput Ferri, Tetbaldus filius Sugerii, Frodo filius Themerii, Ivo filius ejus, fideles feodalesque nostri, vicariam quam in prescripta Pomeriata ab atavis quietam habebant, tam precibus nostris quam meritis, eidem abbati eisdemque monachis perpetualiter et quiete possidendam concesserunt. Ad hujus itaque rei testimonium et defensionem, nostra et plurium aliorum videntium hec et audientium nomina hic subscribi fecimus. Philippa; Ivo, filius ejus; Nevelo, Garinus de Friesia, Harduinus Caput Ferri; Tetbaldus, filius Sugerii; Frodo, filius Temerii; Ivo, filius ejus; Ivo, filius Herberti; Rogerius de Aqua, domnus episcopus, Hilduinus precentor; VVido, filius G. divitis; Giraldus capellanus; Gaufridus, nepos ejus; Landricus clericus, Haimo prepositus; Herveus, Robertus, cubicularii episcopi; ipse abbas, Adventius miles, Laurentius cubicularius, Gunbaldus; Gislebertus, Lorini filius; Fulchardus; Richardus, gener ejus; Ingelbertus cocus, Gaufridus cocus, Rogerius cocus, Johannes cocus, Odo pistor, Salomon major; Gaudius et Teduinus, fratres; Gambatus, Radulfus Hildegarii. Hec igitur acta sunt anno ab incarnatione Domini MXCIIII°, mense martii, indictione II, Philippo rege regnante,

Mart. 1094.

Ivone Carnotensi episcopio presidente. His ergo si quis obviare presumpserit, nisi citissime resipuerit, quiscunque fuerit, nostro assensu anathema sit. Amen. »

20 oct. XII kalendas octobris prescripti anni, hoc idem concesserunt Willelmus, filius Jothonis; et Richerius, frater ejus. Videntibus et testificantibus Paulo, serviente eorum, et aliis suprascriptis.

XLIV.

Cujusmodi concordia cum Germundo de Pomeria et filiis ejus firmata sit.

1101-1129. « Si quando utilitatis poposcerit necessitas, veridico scripti hujus testimonio citius elucescat, quod nobiscum Germundus de Pomeria concordie pactum firmaverit. Ipse etenim aliquando, tempore quo, domno Willelmo nostre huic congregationi abbate presidente, domnus Conanus capicerie hujus ecclesie officio serviebat, jam nominate ville preerat major, licet cuidam nepoti suo eadem majoria justius jure competeret hereditario; que scilicet villa ad eandem, cui domnum Conanum deservire dictum est, capiceriam pertinebat. At vero, Germundi immoderantia, inter se et domnum Conanum discordia quedam oborta est, unde factum est ut villam eandem totam pene Germundus destrueret. Tandem vero resipiscens, ut pristinam nobiscum pacem habere mereretur supplicavit, omnia in quibus deliquerat, prout potuit, emendavit. Nam domos nostri inibi monachi, quas combuxerat, refecit; caballas, vaccas et boves et quicquid, de rebus tam nostris quam nostrorum ibi hominum, diripuerat reddidit. Preterea, quandam decimam, quam de suo fevo habere videbatur, et quedam alia domno Conano tradidit, usquedum, ex ipsarum rerum redditibus, restaurarentur omnia que nobis fecerat dampna. Postremo, fidei et jurisjurandi sacramento, pacem nobiscum perpetuam se servaturum firmavit, eandem pacem filios suos secum jurare fecit. Cujus concordie scilicet atque pacis obsides et fidejussores, quoscunque potuit totius cognationis affinitatisque sue dedit; sed et ipsi, data et interposita fide qua christiani vivebant, spoponderunt, quod, si quando Germundus nobis ali-

quid forisfaceret, quod emendare aut nollet aut non valeret, nullum ei, contra utilitatem nostram, auxilium refugiumve preberent. Testes ex parte ipsius : Ipse, cum filiis suis Odone et Rogerio; Teardus, filiaster ejus; Guillelmus, cum Pagano, filio suo; Osmundus de Vallibus, Herbertus de Campis; Hubertus, frater ipsius; Teobaldus de Cherinaico, Ernulfus de Digniaco, Odo de Chergiaco, Gislebertus et Ivo de Maigniaco. Ex nostra vero parte : Ivo Herberti; Mascelinus, et Robertus, frater ipsius, de Reconvillari; Ansoldus telonearius, Robertus major, Gaufridus Ivonis. »

XLV.

Quomodo ecclesia de Ysis, cum decimis et terra et duobus solidis census, a Roberto de Ysis et filio ejus Ernaldo, Gaufrido episcopo mediante, nobis donata sit.

« Omnibus quibus oportuerit ex litteris istis notum fieri volumus, nos sancti Petri Carnoti videlicet monachi, quod Robertus de Ysis, ad nos, una cum filio suo Gradulfo, venire ad monachatum volens, ante paucos quam hoc faceret dies, ecclesiam sancti Petri de Ysis, quam eatenus injuste, utpote laicus, possederat, consensu et concessu Ernaldi filii sui, per manum domni Gaufridi de Leugis, Carnotensis episcopi, sancte ecclesie restituit; rogans eundem pontificem, ut monasterio nostro, ob gratiam conversionis sue, eandem ecclesiam dignaretur delegare. Quod venerabilis antistes, gratanter annuens, nec mora complevit, eandemque ecclesiam nostro monasterio, cum omnibus que ad eam pertinebant decimis, donavit; concedens et confirmans, ut, in ea libertate qua miles prefatus eam eatenus possedisset, nostra deinceps ecclesia eandem ecclesiam possideret; omnino videlicet libere, solius episcopi Carnotensis jure salvo. Viderunt hoc et audierunt qui presentes aderant : Sanso decanus[1], Gauterius archidiaconus, Robertus matricularius. Concessit etiam hoc donum et Fulco de Curva Villa, de cujus fevo eadem ecclesia esse dicebatur. Ejusdemque concessionis testes sunt hii : Hugo de Leugis, sancte Marie prepositus; Gaufridus 1119-1124.

[1] Nonnullas chartas subscripsit ab a. 1119 ad a. 1124.

Ivonis, Ansoldus Godeschalli, Baudricus de Bruerolis, Hugo de Platea; Gislebertus Gemellus, et Robertus, frater ejus; Robertus de Loun, Matheus, Fulbertus presbiter, Petrus hospitularius, Albericus, Doardus. Ex parte Fulconis. Hugo Haimerici, Harduinus Brunet, Morellus, Ivo de Frunciaco. Dedit quoque predictus miles, Ernaldo filio suo concedente, terram in predicta villa, ecclesie ipsi contiguam, in qua monachi nostri condecenter hospitari possent, et ipsam ab omni consuetudine liberrimam. Sed et in hac civitate Carnotensi, in valle sancti Mauricii, duos solidos census, qui sibi de vineis sancti Leobini annuatim reddebantur, ecclesie nostre in perpetuum dimisit, hoc quoque Ernaldo filio suo concedente. »

XLVI.

Quomodo Ivo de Curvavilla consuetudines terre nostre vel potius invasiones totas dimisit.

1101-1129. « In nomine Domini nostri Jhesu Christi, et in honore beatissimi Petri apostolorum principis, ego Ivo de Curvavilla ab omnibus sciri cupio, me omnes consuetudines, quas pater meus Gerogius et Philippa mater mea acceperunt in terra sancti Petri Carnoti, absque ulla retentione in omne tempus dimittere. Cum enim appropinquaret jam morti mater mea, vocato me ad se, michi dixit : « Volo te scire, fili, nos « nichil consuetudinis habuisse unquam vel habere in terra sancti « Petri. Quicquid enim pater tuus et ego inde accepimus non con- « suetudo fuit, sed violentia vel rapina; sed et monachi, id non igno- « rantes, semper conqueruntur de nobis, et, in quantum possunt, con- « tradicunt. Unde te moneo et precor, ut, quicquid nos fecimus, tu « tamen illas, non dicam consuetudines sed injustas invasiones, in « terra sancti Petri ne capias. » Hec verba matris mee audierunt duo monachi sancti Petri : Gaufridus de Sancto Leobino et Conanus, ibi assistentes; et tres homines nostri, Frodo, famulus noster; et Ivo, filius Herberti, gener ejus; et Hugo, filius Haimerici; qui postea, me hoc ex parte negante, parati fuerunt ad jurandum pro monachis, se, sicut

dixi, sic audisse a matre mea. Ego vero, mortua matre mea, cor juvenile sequens, non verbis matris mee obediens, consuetudines quas pater meus habuerat repetii, cumque rustici, monachis sibi prohibentibus, eas reddere nollent, predam eorum in nautum cepi; monachisque inde se clamantibus, recredidi donec, per placitum, vel mea vel illorum justicia comprobaretur. Interim venit domnus abbas sancti Petri Willelmus Curvamvillam ad me, sciendus de placito, an placitarem scilicet, an dimitterem. Tunc dedit michi Deus bonum consilium, ut et placitum et consuetudines pariter dimitterem, hominibus meis idipsum laudantibus. Consuetudines itaque quas pater meus et mater acceperunt in terra sancti Petri, sicut supra dixi, in perpetuum dimitto, et posteris meis dimittendas precipio. Dimissionem hanc feci in manu domni Willelmi, abbatis sancti Petri, apud Curvam Villam. Hoc viderunt et audierunt, ex parte ejus, hii tres monachi : Gaufridus de Sancto Leobino, Berengerius; Johannes, filius Frodonis. De famulis eorum, hii : Mascelinus major; Rainardus, filius Aventii; Gaufridus Boschetus, Constantius de Drocis. Ex parte mea : uxor mea, Willelmus de Guito; Hugo, filius Haimerici; Paganus de Frociaco, Salomon de Vienna; Ivo, filius Herberti, et alii multi quorum non recordor. »

XLVII.

De terra apud Miseriacum ab Erardo data et ab uxore et filiis suis et ab omnibus capitalibus dominis concessa.

« Litteris istis omnibus scire volentibus certum esse volumus, nos 1130-1150.
sancti Petri Carnoti videlicet monachi, quod Erardus dedit ecclesie nostre in elemosinam quicquid habebat terre apud Miseriacum, de caritate aliquantum nummorum proinde accipiens. Quod ejus donum in capitulo nostro, et prius in manu domni Willelmi, et postmodum in manu successoris sui domni Odonis abbatis, publice factum, concesserunt uxor ipsius Erardi, et filii Rainaldus atque Ebrardus, et filia Odelina cum viro suo Galterio. Sed et capitales domini, de quorum feodo terra eadem gradatim descendebat, hoc concesserunt :

idem Gunherius de Alneto, nondum uxoratus, et Goscelinus de Mongeri Villa, cum filio suo Willelmo, adhuc adolescentulo, et Hugo Tronellus, cum filiis suis nondum uxoratis. Testes : Gerogius major, Gaufridus Polcet; Radulfus, prefectus vicecomitis, cum Rogerio fratre suo. »

XLVIII.

De medietate ecclesie sancti Leobini de Braiolo, Cluniacensibus monachis a Girardo Brunello data; que scilicet carta ab eisdem monachis nobis est per concordiam reddita.

1092-1120. « Notum sit cunctis Dei fidelibus, tam presentibus quam futuris, quod ego Girardus Brunellus, cum assensu uxoris mee et filiorum meorum Helgodi et Rodulfi, Ade et Hugonis, necnon et senioris mei domni Guillelmi Goeth, et uxoris ejus Eustachie, atque filiorum ejus Hugonis et Guillelmi, dono Deo et sancto Petro Cluniacensi medietatem ecclesie sancti Leobini Braioli castri, quicquid in ea habebam; medietatem scilicet de omnibus que ad ecclesiam pertinere videntur, id est sepulture, atque decime vini et omnium annonarum, lini et canabi, et rerum omnium deforis ad ecclesiam pertinentium. Medietatem autem decime omnium que ad altare intra ecclesiam pertinent, porcorum videlicet ac vitulorum, agnorum atque lanarum, panum et candelarum, relinquo filio meo tantummodo in vita sua; ita ut nullum donum aut venditionem alicui hominum vel loco alteri faciat, nec in vadimonium alieni mittat. Quod si, in vita sua, Deo et monachis Cluniensibus dimittere, pro aliquo precio vel pro salute anime sue atque parentum suorum, voluerit, libenter concedo. Sin autem, in vita sua, dimittere noluerit, munda et libera, post mortem ejus, Deo et sancto Petro Cluniensi ex integro deveniant. Si autem contra eosdem monachos aliquid injustum fecerit, in quocunque ei loco preceperint rectum faciat. Quicunque vero meorum hominum aliquid ad eandem ecclesiam pertinens, ex meo beneficio tenente, Deo sanctoque Petro Cluniensi, pro redemptione anime sue, dare aut vendere voluerint, libens concedo, nullamque habeant potestatem vendendi aut tribuendi loco alteri. Concedo et dimidium dotalitium de vineis Habeline, uxoris mee, ipsa

libentissime annuente atque laudante, ut, in extremo die judicii, misereatur Dominus animabus nostris ac filiorum nostrorum atque omnium parentum nostrorum, tam vivorum quam defunctorum. Testes hujus doni : Girardus Brunellus et uxor sua Habelina, et filii ejus, Helgodus et Rodulfus, Adam et Hugo ; domnus Guillelmus Goeth et uxor sua Eustachia, atque filii ejus, Hugo et Guillelmus ; Rainaldus decanus et disciputi sui, Haudricus et Vitalis ; Guillelmus, nepos Guillelmi Goeth ; Gualterius Oculus de Cane ; Goscelinus de Braioli Castro et Hugo, frater ejus ; Raherius faber et filii ejus, Girardus et Guillelmus ; Goffridus pelliparius et Fromundus ; Goffridus famulus ; Hugo, filius Gaufridi ; Herlebaldus Crispinus, Ingelgerius Rufus, Hugo de Braioli Castro, Normannus Bellus, Guillelmus Tarcortes ; Girardus, filius Raherii ; Hubertus, filius Ansaldi ; Garnerius carnifex et Rodulfus ; Petrus sancti Carileffi. »

XLIX.

Cyrographum redditus vel beneficia ecclesie sancti Leobini de Braiolo inter monachos et presbiteros dispertiens.

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Gaufridus, Dei gratia, Carnotensis episcopus, romane atque apostolice sedis per Aquitaniam legatus, ad pacem et concordiam monachis sancti Petri Carnoti et presbiteris ecclesie sancti Leobini de Braiolo consultum fore volens, decerno atque constituo, et episcopali actoritate confirmo, quatinus redditus et beneficia memorate sancti Leobini ecclesie inter monachos et presbiteros ita dividantur : Ut monachi quidem grandem decimam totam habeant, preter unum annone modium presbiteris equaliter dividendum in messe ; presbiteri vero totius minute decime, preter camum et linum que monachorum propria erit, medietatem habeant et monachi alteram medietatem. Similiter et oblationum et beneficiorum medietas presbiteris cedat in partem, medietas monachis ; preter ea que non presbiterorum esse debent : baptismata scilicet et confessiones, visitationes et sepulture private et pro defunctis misse, sponsi quoque et sponse tam in sponsaliciis quam in purifi- Anno 1136.

cationibus suis, singule de primis personis oblationes. His ergo exceptis, cetera omnia, ut predictum est, vel oblationes vel beneficia, inter monachos et presbiteros statuo per medium dividenda; ita tamen, ut semper in monachorum potestate sit, quibus maluerint annis, vel horum omnium medietatem habere, vel, propter pacem utrinque plenius conservandam, pro VIIIto libris, ad duos vel tres terminos annuatim persolvendis, eandem medietatem presbiteris dimittere. Ea vero beneficia que infirmantes vel morientes per testamentum faciunt, tali ratione decerno distinguenda, ut, ea que monachis nominatim fuerint legata, monachorum sint sua; que vero vel ecclesie sancti Leobini nominatim, vel determinate presbiteris fuerint dimissa, presbiteris et monachis sint per medium communia. Sed et hoc episcopali sanctione confirmo, ut ornamenta et sacrata ejusdem ecclesie vasa, et quicunque in ea vel est vel erit thesaurus, in potestate monachorum ita sint omnia, ut, eorum nutu, presbiteris assignentur custodienda. Acta sunt hec in episcopio nostro, anno ab incarnatione dominica MCXXXVI°, episcopatus autem nostri XXI°, presentibus de personis nostre Carnotensis ecclesie quampluribus, quarum nomina inferius annotari precepimus; presentibus etiam duobus ejusdem de qua agitur ecclesie presbiteris, Hugone decano atque Bernerio, qui et ipsi hanc constitutionis nostre paginam ratam habuerunt et gratam, eamque proprío assensu firmaverunt. Ex parte presbiterorum, testes fuerunt isti : Rabinus, presbiter infirmorum; Petrus, presbiter de Monte Miralio; Matheus, filius Hugonis de Brueria. Nomina autem personarum ecclesie sancte Marie que affuerunt sunt hec : Garinus, abbas sancti Johannis de Valeia; Zacharias decanus, Bernardus capicerius, Sanson prepositus, Ansgerius archidiaconus, Henricus prepositus, Gislebertus cancellarius, Paganus Paiotus, Matheus de Porta Drocensi. »

L.

Quid Hugoni presbitero in ecclesia sancti Leobini de Braiolo concessum sit.

1136-1148. « Ego Gaufridus, Dei gratia, Carnotensis episcopus, romane ecclesie legatus, omnibus qui litteras istas legerint notum volo esse et cer-

tum, quod Udo, abbas monasterii sancti Petri Carnoti, et totum ejusdem ecclesie capitulum, rogatu meo, concesserunt Hugoni decano, presbitero sancti Leobini de Braiolo, ut, in eadem ecclesia, quandiu ejus presbiter fuerit, medietatem eorum reddituum vel beneficiorum, que ad presbiterium ejus pertinent, integram habeat et illibatam; ita tamen, ut hec monachorum indulgentia nichil eis prejudicet, quin, postquam Hugo ejusdem ecclesie presbiter esse desierit, monachi totum hoc ex integro capiant in eadem ecclesia, quod eos capere testatur privilegium illud nostrum, quo reddituum vel beneficiorum jam dicte ecclesie, inter monachos et presbiteros, determinatio et plenius continetur et planius [1]. »

LI.

Quod Richeldis filia Mascelini paterne hereditatis extorris sit facta.

« Quam gratum et acceptabile Deo sit sacrificium, hominem servi- 1130-1150.
tuti mancipatum restituere libertati, prophetica illa sancti Jeremie indicat historia, qua Dominus obsessos a Caldeis Israelitas, pro servorum absolutione, depulso legitur hoste liberasse; pro retractione vero absolutionis, ad gladium et famem et pestem in retractores predicasse describitur libertatem [2]. Quamobrem ego frater Udo, monasterii sancti Petri Carnoti, Dei gratia, humilis abbas, totiusque mecum commisse mihi congregationis conventus, omnibus qui litteras istas legerint notum volumus esse fidelibus, quoniam, unanimi totius nostri capituli consensu, Richeldim, filiam Mascelini, hominis et majoris nostri de Reconis Villari, naturaliter de familia ecclesie nostre existentem, tam pro summi liberatoris, Dei scilicet omnipotentis, amore quam pro gratissima ejusdem patris sui intercessione, ab omni servitutis vinculo publica manumissione absolvimus, plenamque, tam sibi quam sue, si qua forte erit, posteritati, ab omni servilis conditionis nota ingenuitatem indulgemus, concedimus atque confirmamus; in qua scilicet collata sibi a nobis libertate, nichil prorsus nobis prejudicii retinemus, nisi ut ipsa

[1] Vide supra, cap. XLIX.

[2] Vid. Jerem., XXXIV, 17.

nec heres suus, in predicti patris sui Mascelini hereditate, nulla possit occasione hereditarie quicquam reclamare. Ut autem hec sanccite sibi libertatis pagina predicte Richeldi rata semper atque inconvulsa permaneat, eam, tam sigilli nostri impressione quam nominum nostrorum ex parte subscriptione, quamque etiam testium astipulatione corroborandam decrevimus. S. Udonis abbatis. S. Roberti prioris. S. Ranulfi subprioris. S. Ogerii bajuli. S. Guillelmi elemosinarii. S. Huberti cellerarii. S. Conani capicerii. S. Rainfredi camerarii. S. Bernardi armarii. S. Roberti prepositi. Nomina testium, ex nostra parte : Gislebertus sacristes, Blanchardus cocus, Doardus, Gaufridus ortolanus, Richardus Gueta, Teobaldus, Harduinus, Rainaldus Grenet, Gaufridus sartor. Ex parte Richeldis: Robertus, patruus ejus; Harduinus Brunet, Hubertus de Campis; Herbertus, major de Ponte Goeni; Brito, filius Salomonis; Radulfus avenarius. »

LII.

Quod Ivo de Frunci terram de nemore sancti Petri quietam clamaret.

« Notum fiat universis, quoniam Ivo de Frunci quandam terram, quam apud nemus sancti Petri habemus, calumpniatus est, necnon et manum injecit in hospites. Tandem, recognoscens calumpniam suam injustam, nobis terram nostram quietam restituit, ita ut duos solidos census inde redderemus. Hoc autem, tam favore suo quam filiorum suorum, his testibus actum est : Symon Mordant, Guarinus de Aquis, Hermandus de Curbevilla, Gaufridus Mordant, Hugo de Campis, Guido de Funtanis, Hugo Fussel; Petrus, filius Ivonis; Ivo, frater ejus; Lucas, Haimericus, et alii plures. »

LIII.

Quomodo Dionisius, cognomento Paganus, dedit medietatem ecclesie Oenis Ville et decime, cum toto tractu ejusdem, necnon et consuetudines ipsius atrii.

« ..... Ego itaque Dionisius, cognomento Paganus, medietatem ecclesie et decime Oenis Ville, cum toto tractu ejusdem, necnon et consuetudines ipsius atrii, que omnia, peccato exigente, ab antecessoribus meis quasi hereditaria possederam, pro eorundem animabus et mea, Deo, cujus juris erant, dimisi. Propinquorum vero assensu hoc donum faciens, super altare Gisiacensium sanctorum Petri et Pauli, ad usum monachorum inibi Deo militantium, illud dedi. Videntibus et audientibus his, ex parte mea : Haimo de Banteru, Ingelrannus Stephani. Ex parte autem monachorum : Urso, Bernardus Minimus; Witho, Moyses, Stephanus, Mascelinus monachi; Albericus presbiter, Robertus Ingelerii, Herbertus Cossardus, Ansquitinus famulus, Teduinus Jordanis, Sansvalo, Robertus, Odo Caballiculus, Herbertus asinarius, Girbertus cocus, Tetboldus Adelesie, Herbrannus, Warnerius piscator, Wido et Drogo macellarii. Inde quoque, cenobium Carnotense adiens, presente domno abbate Willelmo et monachis, hoc idem in capitulo eorum confirmavi, et super altare apostolorum ibi iterum donum feci. Presentibus his : Laurentio, Gunbaldo, Adventio milite; Adventio et Durando, consutoribus; Leogario famulo, Gisleberto Lorini, Walterio coco, Walfrido coco. Unde, sua gratia meis affectibus indulgentes, michi, viventi vel mortuo, tantumdem beneficii in monasterio suo impendi constituerunt quantum uni ex ipsis. Altera ergo die qua a civitate Carnotina recessi, gratia Dei exhibente, quicquid de prefatis concesseram, apud Mellent in domo mea, concedere et confirmare[1] domno meo Roberto Calvo, sororibus sororiisque meis Ermeline, Agneti, Rainaldo, Bosoni, et pueris ejus. Videntibus et audientibus his, ex parte domini nostri et nostra : Godefrido, fratre ejus; Garimboldo, Burdio, Huberto de Ablego, Drogone de Baca- Jan. 1101.

[1] Suppl. *curavi*.

mont. Ex parte autem monachorum : Bernardo, Moyse, Stephano monachis; Teduino de Porta; Johanne, filio Stephani; Balduini Siginfredi, Herberto Burdino; Turgisio et Odone Rufo, servientibus Hugonis, filii Galeranni; Roberto Adelesie; Odardo, filiastro ejus; Roberto Engelerii; Ansquitino famulo, Amalrico, fratribus, et Teduino et piscatoribus. Ego quoque Radulfus de Wadincurte..... aliam medietatem hujus ecclesie et decime dedi monachis sancti Petri, et inde, apud Gisiacum, super altare donum feci. Videntibus et audientibus, ex parte mea : fratres mei Gauterius et Gislebertus.... Ex parte monachorum :.... Odo pistor; Wido, Drogo, Ernaldus carnifices; Warinboldus et Rogerius, fratres. In via autem castri quod Pontem Ysare dicitur, id idem concessit dominus noster Robertus Calvus, videntibus et audientibus : me et fratribus meis; Godefrido, fratre domini; Hugone Galeranni, Roberto Walterii;.... Ivone de Sancto Martino, Walterio Hilduini; Herberto, Hilduino, filiis ejus; Stephano monacho, Ansquitino famulo. Hec igitur acta sunt mense januario, anno ab incarnatione Domini MCI°, indictione IX, Philippo rege regnante, Willelmo Rothomagensi archiepiscopo presidente. »

LIV.

De prava consuetudine, quam Wiardus, filius Drogonis de Coflente, in ecclesia sancti Petri Leonis Curie vi usurpationis exigebat, ab eodem in perpetuum dimissa.

15 oct. 1098. « .... Nos monachi sancti Petri, ego Fulcherius scilicet, Unfridus, Radulfus, Germundus, hujus scripti presentia, tam presentium quam succedentium noticiam procuramus instrui fidelium, quia Wiardus, filius Drogonis de Coflente, quandam pravam consuetudinem, quam in ecclesia sancti Petri Ledonis Curtis vi usurpationis sibi exigebat, pastum scilicet sibi decemque militibus secum, et quantum pugillus bis potest de candelis comprehendere, revertente cujusque anni circulo, in sollempnitate sancti Petri que dicitur ad Vincula, accepto a nobis quodam ambulatorio equo C solidos appreciato, remota omni inquietudinis calumpnia, in perpetuum dimisit. Quem equum mox ut primum ascendit, corporali tactus incommodo, divina, ut credimus, ultione, reatum

predicte oppressionis extortique equi a nobis (quod postea certis claruit indiciis) in eo multante, cepit acrioris molestie violentia urgeri. Unde a suis ut redderet equum monachis admonitus, accersito ad se prefati loci priore qui ceteris preerat fratribus, nomine Fulcherio, levaminis gratia potiebatur, eodemque recedente, graviore dolore premebatur; sicque quater contigit : quotiens prenominatum fratrem accersiit, totiens minus vexationis sustinuit. Hujus igitur divine correptionis verbere persuasus, de prenotata consuetudinis oppressione reum se prenuncians, equum quem a nobis extorserat reddidit, pravamque consuetudinem, pro remedio anime sue parentumque suorum, sancto Petro apostolorum principi perpetuum condonavit. Facta est hec donatio apud Calvum Montem, ante ecclesiam beati Petri, idibus octobris, anno ab incarnatione MXCVIII°. His videntibus et audientibus : Otmundo, ipsius castri domino; Roberto, fratre ejus, et Watho de Pissiaco; Gauberto de Borrith; Radulfo, fratre ejus; Rogerio, nepote ejus; Fulcone, filio Joscelini; Roberto, filio ejus. »

LV.

De ecclesia de Vi et dimidio decime a Gaufrido episcopo sancto Petro data.

« .... Ego Gaufridus de Leugis, nescio vel electione Dei vel per- 1116-1129.
missione, Carnotensis episcopus, presentibus futurisque carte hujus actoritate testificor, quod Willelmus de Firmitate, cum jam crucem ad eundem in Jerosolimam accepisset, presentiam nostram adiit, ecclesiamque cujusdam ville sue, vocabulo Vi, que est juxta Montem Fortem, cum dimidio decime quod tenebat (nam aliud dimidium alii ab eo tenebant), in manu mea reddidit et dimisit; suppliciter me exorans, quatinus, de hoc quod contra Deum et salutem anime sue diu eam possederat, absolverem. Quod cum fecissem, rogaverunt me ipse Willelmus et frater ejus Hugo, prepositus ecclesie nostre, ut, pro Deo, ecclesiam illam beato Petro et monachis sibi servientibus tribuerem. Ego igitur, precibus annuens, predictam ecclesiam, cum decima et domo presbiteri, monasterio beati Petri dedi, abbatem illius nomine

inde revestiens per quendam cutellum, in capitulo sancti Petri, Hugonis prepositi, fratris Willelmi, quem, pro hoc dono abbati et monachis faciendo, in capitulum sancti Petri pro me misi. Quando hoc donum, in capitulo nostro, dedit predictus Hugo domno abbati Willelmo, ex parte Gaufridi episcopi, presens erat ipse Willelmus de Firmitate, frater Hugonis, et filius ejus Ernaldus, et famulorum nostrorum multi : Gaufridus cellerarius, filius Aventii; Julduinus cocus, Rogerius cocus; Floherius, filius Algerii de Aneto; Budinus, filius Odonis pistoris; Gislebertus marescallus; Garinus, filius Durandi pistoris. Tunc etiam ibidem concessit nobis predictus Willelmus quicquid in villa vel circa villam illam adquirere, vel dono vel precio, possemus : ipsi inde testes qui supra. In camera Ernaldi, avunculi sui, decani, monachi nostri, id ipsum concessit, presente et annuente Ernaldo filio suo. Affuerunt cum eo qui hoc audierunt et viderunt : Hugo, filius Baudrici; Hugo Juvenis, Galterius Rufus; Guido, avunculus Ernaldi, filius prefati Willelmi; Hugo, prepositus sancte Marie, frater ipsius Willelmi. Sed et Amauricus de Monte Forti [1], in cujus terra atque dominio villa eadem sita est, in ipso anno in capitulum nostrum veniens, non solum quicquid in villa jam dicta, sed et quicquid in omni reliqua terra sua predictis modis adquirere possemus, gratanter concessit. Audierunt hoc et viderunt, tam ex sua quam ex nostra parte, qui subscripti sunt testes : Hugo, prepositus sancte Marie; Guillelmus Burellus, canonicus sancti Martini Turonensis; Avesgotus Germundi, Hugo Savari, Gaufridus de Vi; Ebrardus monetarius, capellanus ipsius Amaurici. Ex nostra parte : Gaufridus; Gilduinus, et Durandus, sororius ejus, cementarii; Petrus. Dedit etiam nobis idem Amauricus, coram prescriptis testibus, monacho vel monachis inibi habitantibus atque habitaturis, boscum ad omnes necessarios usus necessarium. »

[1] Amalricus IV, filius Simonis I et Agnetis Ebroicensis, fuit dominus Montis Fortis ab a. 1103 vel 1104 usque ad a. 1137 quo defunctus est.

LVI.

De agripenno terre quem Gaufridus de Vi dedit ecclesie nostre.

« Et nostre et eorum qui post nos in hoc nostro monasterio futuri sunt utilitati atque quieti in posterum consulentes, omnibus et qui modo sunt et qui postmodum futuri sunt fidelibus, presentis scripti pagina, notificamus, quoniam Gaufridus de Vi, assensu et voluntate uxoris sue Odeline et filii sui Philippi, dedit nostre, quam in prefato loco habemus, sancti Martini ecclesie, convenienti loco, unum agripennum terre, ab omni omnino tam liberum consuetudine, ut, in eo et de eo, quicquid nobis visum fuerit, absque ullo contradictionis obstaculo, facere possimus. Qua libertatis scilicet atque quietis lege, dedit nichilominus eidem nostre in predicto loco ecclesie, alio et congruo loco, terre quantum dimidio frumenti modio poterit seminari. Tradidit preterea nobis terram competentibus locis, ad unam carrucam omnibus anni temporibus sufficientem, retento sibi in ea terragio tantum, acceptisque a nobis VII libris et X solidis Carnotensium : tali pacto atque conditione, ut, quando voluerit vel valuerit, jam dictam pecuniam nobis reddat et eandem carrucatam terre quiete, sicut prius, et libere possidendam recipiat; ea tamen lege, ut quicquid in ea seminatum fuerit, nobis, suo tempore, metere liceat; et quicquid ejusdem terre stercoratum fuerit, quandiu quicquam crassitudinis ex eadem stercoratione terra retinebit, suis temporibus excolere. Testes ex sua parte, Radulfus et Willelmus de Totueel; et ex nostra : Goisbertus Coispel; Odo, filius Leodegarii; Robertus clausarius; Rainaldus cum fratre suo, Gaufrido cellerario, filio Aventii. »

LVII.

De injusta calumpnia quam Galterius Rufus super domum de Vi fecit et postea recognovit, et in manu Richardi, tunc prioris, dimisit.

« Noverint omnes qui scriptum hoc legerint fideles, quod Galterius Circa a. 1136.
Rufus, calumpniam et injusticiam suam recognoscens, quam supra

domum nostram de Vi satis injuste fecerat, in manu Richardi, tunc temporis ejusdem domus prioris, pro injusta invasione rectum fecit et totum quietum clamavit, nepotique suo Hugoni hoc concedere fecit. Audientibus his et videntibus : domno Roberto[1], abbate de Nielfa; Amaurico monacho, Odone pellipario, Ranulfo famulo. »

[1] Robertus I, qui sedisse dicitur anno 1136. Vid. *Gall. Christ.*, t. VIII, col. 1246.

LIBER QUARTUS.

DE BRUEROLIS. DE ERMENTARIIS. DE BUXETO. DE PUTEOSA. DE PLANCHIS. DE CONSTANTINI PAGO. DE SANCTO GERMANO DE GUASTINA. DE TOTA RIVERIA. DE CHALGETO QUOQUE, ET DE OMNIBUS VEL OBEDIENTIIS VEL POSSESSIONIBUS, JUXTA VEL INFRA PRENOMINATA LOCA, SECUNDUM VICINIARUM CONGRUENTIAM, SITIS.

I.

Quomodo Landricus, filius Gisleberti, medietatem furni de Bruerolis ecclesie nostre donavit; quove modo calumpnia a filio ejus Isnardo nobis super eodem furno illata sedata sit.

« ....[1] S. Gaufridi monachi. Testes ex nostra parte : Robertus Mis- Ante a. 1102.
chinus, Sulpicius presbiter, Wimundus, Girardus, Bernerius; Hubertus de Canto Lupo, et filii ejus, Rainaldus, Hadebertus; Sulpicius, gener ejus; Hubertus de Seiart. Ex parte Landrici : Garinus de Islo, et filius ejus Symon, ex cujus beneficio erat; Rainaldus et Isnardus, filii Landrici; Rainaldus de Pulcro Puteo. Post mortem denique Landrici, reclamavit Isnardus, filius ejus, supradictam conventionem. Inde clamor venit ad domnum abbatem Eustachium, in Castro Drocis. Ea conventione fecit domnus abbas et ceteri monachi qui cum eo fuerunt, Hubertus abbas et Hugo bajulus ejus, et Bernardus camerarius et Hilduinus prepositus, ut, pro anima patris sui et matris sue, elemosinam et venditionem eorum dimitteret quam injuste calumpniabat. Socium et orationum fratrum participem fecit eum iterum domnus abbas, et X simul solidos dedit ei; qui ex toto dimisit calumpniam quam injuste faciebat, annuente domno Symone, de cujus beneficio hoc donum erat. Ex hoc fuerunt testes ex parte sancti Petri : Marcuardus et Guido presbiteri; Jothradus, et filius ejus Wulferius;

[1] Majorem hujus chartæ partem impressam habes superius, part. I, lib. VIII, c. XXVII, p. 253.

Otrannus; Henricus et Morinus, fratres;.... Girardus de Sancto Georgio. Die dominico venit ipse Isnardus, de quo supradiximus, in Bruerolis, et nummos hos recepit, et convivium in domo nostra sumpsit, et ex toto calumpniam dimisit. Vidente Roberto, milite suo, filio Frodonis; et Garino de Carnotis, Bernardo et Roberto Mischino. »

II.

De terra de Tornesia ab Isnardo data et a sororio ejus Bardulfo prius quidem calumpniata, sed postmodum concessa.

et rogatu, una cum filio ipsius predicto Roberto et nepote Hugone, et ipse in capitulum nostrum venit; et, Roberto patris sui tam petitionem quam elemosinam faciente, et ipse omnium que in predicto loco vel habebat vel habiturus erat, fratrum quos ibi adunarat consensu, ecclesiam nostram heredem fecit; tali conditione, ut ipse quidem, quandiu viveret, et locum et quecumque inibi vel adquisierat vel adquisiturus erat libere in omnibus et quiete, sicut prius, possideret, et, sive in eo quem tunc gerebat heremitico habitu, sive sumpto monachico, ibidem quandiu vellet habitaret; sed et quos vellet secum habitaturos reciperet; post ejus vero obitum, fratres inibi ab eo adunati nullam quidem, sine consilio et consensu nostro, aliquem ibi recipiendi habeant potestatem, sed sive sub ditione ecclesie nostre ibidem habitandi, sive ad monachatum, aut in nostro aut in quo maluerint monasterio, se convertendi. Sub hac, inquam, conditione, predictus servus Dei Galterius, quicquid in jam dicto loco vel adquisierat vel adquisiturus erat, ecclesie nostre juri et possessioni delegavit. Sepe nominatus autem Giroldus, qui et Burgundius, quicquid in eadem terra, quicquid in predicta ecclesia, quicquid in dominicatu suo tenebat, quicquid a se feodaliter tenebatur, hoc est, totum totius ejusdem terre sue dominium, monasterio nostro libere contribuit et quiete possidendum. Quod patris sui beneficium sepe memoratus Robertus, sicut dictum est, concessit; verumetiam per fidem suam promisit, quia omnes qui hoc calumpniari posse viderentur, quantum, salva justicia et sine suo dampno, valeret, concedere faceret, et contra omnes omnium calumpnias eadem lege defenderet. Testes : Fulbertus presbiter, Robertus major, Tescelinus monachus, Radulfus Vilen, Barbo, Arnulfus tanator, Lambertus feltrerius, Robertus Harella, Osbertus, Albericus, Teherius.

« Notandum quoque quia Vulferius, una cum uxore sua Helysabeth et filiis Philippo, Willelmo, Raherio, sepius memorato servo Dei Galterio de Rivellonio, et omnibus qui post ipsum eundem locum religiose possessuri forent, quicquid eis de feodo suo vel datum erat vel dandum jam concesserat. Lambertus decanus, Johannes canonicus, Lantho capellanus, Gaufridus de Sancto Vincentio, Hericus. »

XXXIV.

De diversis locis a Rogerio Fortin datis et ab uxore et filiis ejus concessis.

« Cum se Rogerius Fortin lepra percussum persensisset, rogavit nos ut eum in nostra suscipientes, apud Bellum Locum habitare faceremus, et, sicut de uno monachorum nostrorum, curam de eo per omnia gereremus. Quo impetrato, tam pro susceptionis sue gratia quam pro sua suorumque salute, apud Rivellonium, cujus medietatem cum quibusdam aliis participibus possidebat, donavit ecclesie nostre in elemosinam, de propria quam ibi habebat terra, terram ad unam carrucam sufficientem, et totius sue inibi relique terre totam campipartem preter octavam jarbam, et omnia omnium qui ibi vel sunt vel futuri sunt hospitum hospicia, et quicquid habebat in area molendini quam heremitis concesserat, et boscum ad circulos nostros faciendos, ceteraque omnia nostris usibus necessaria, cum pasnagio porcorum nostrorum, decimam quoque duorum molendinorum suorum de Tellio, et quicquid decime ubi ubi in dominicatu suo tenebat; his omnibus addens terram ad quatuor boves, juxta ecclesiam Capelle, et ipsam ab omni consuetudine liberam et quietam, et quo maluerimus loco, sicut et illam carrucatam de Rivellonio, deligendam; concedens insuper quicquid de feodo suo ecclesie nostre ubi ubi quandocunque donari contigerit. Horum omnium que hic comprehensa sunt, tam donationem quam concessionem, et uxor ipsius Rogerii, H., et amborum filii Ernaldus et Willelmus, concessu proprio, ecclesie nostre confirmaverunt, et contra omnes omnium calumpnias se legitime defensuros fore promiserunt; in omnibus que supra enumerata sunt nichil prorsus sibi retinentes, nisi unum proprio usui suo hospicium, loco competenti edificandum. Testes : Seigefridus, Fulcherius, Adelelmus, Robertus pellifex; Fulbertus et Theobaldus, presbiteri; Paganus, Ivo Herberti, Gaufridus cellerarius, Mascelinus, Budinus, Robertus, Galterius de Sorel, Noldardus, Floherius, et plures alii. » Circa a. 1122.

XXXV.

De decima de Archipena data a Guidone de Cintreia, et a calumpnia Ingenoldi Papot liberata.

1101-1129. « [1] Hoc scripture testimonio fiat manifestum et indubitabile cunctis sancte matris ecclesie fidelibus, quod Guido de Cintreia, annuente Nazilia, sua conjuge, et Richerio, filio suo, decimam de Archipena, quam ibidem tenebat, concessit atque dedit sancto Petro, pro consecutione eterne vite, testante audientia subscriptorum virorum : Herberti mediatoris, Willelmi de Boveriis; Rogerii, fratris ejus; Galterii; Ogerii, fratris ejus. Super hanc eandem decimam Ingenoldus Papotus calumpniam induxit; sed Richerius monachus predictam decimam, lege placitandi, ab ejus faucibus extorsit. »

XXXVI.

Quod Hugo de Exartis cum decima de domo sua dedit terciam partem decime de Puteosa.

« Notum sit cunctis fidelibus, quod ego Hugo de Exsartis, annuente conjuge mea, pro remedio animarum nostrarum, donavi sancto Petro et sancto Johanni propriam decimam de domo mea, et terciam partem decime quam apud Puteosam teneo, coram his testibus : Adventio; Rainardo, filio ejus; Dodone pellipario, Godescaldo majore, Belino, Gaufrido, Roscelino. »

[1] Vide supra, c. XX, p. 531.

XXXVII.

Quod Gaufridus, Carnotensis episcopus, ecclesiam de Mori Villari, cum decima sibi a Godefrido reddita, ecclesie nostre donavit.

« Ego Gaufridus de Leugis, Carnotensis ecclesie, Dei gratia, humilis 1116-1149.
minister, notum esse volo omnibus fidelibus et certum, quod ecclesiam quandam, que dicitur de Mori Villari et est in Pertico, a quodam milite, nomine Godefrido, michi redditam et sancte ecclesie restitutam, monasterio sancti Petri Carnoti, militis ipsius rogatu, delegavi, eique eam, sicut a milite reddita fuerat, hoc est cum omnibus que in ea possederat, assignavi; dono ejusdem ecclesie, per Conanum cellerarium, abbati Willelmo, per virgam precentoris sancte Marie Salomonis, misso. Vidente eodem Salomone, precentore nostro, et Bernardo capicerio, et pluribus aliis. »

XXXVIII.

De capella Behardi cum decima ad eam pertinente a Viviano nobis data.

« Hujus scripti presentia moneatur succedentium memoria, quod Vivianus, annuente conjuge sua et filiis, attribuerit sancto Petro capellam Behardi, in honore sancti Petri constructam, cum decima quam ibidem possidebat; eo tenore, ut presbiter prefate capelle serviturus consequatur mercedem, tam istius decime medietatem quam illius quam ibi nos monachi sancti Petri jam pridem possidebamus. Et si ista predicta decima augmentata fuerit, ut ad minus quam pro ejus medietate presbiter possit ibi locari, fiet ita. Vivianus autem presbiterum ad suam mensam semper cibare pepigit. Auditores fuerunt hii : Gaufridus, Galterius coci, *etc.* »

XXXIX.

De terra in Corbonensi pago duobus fratribus ad censum data.

« In nomine Domini. Ego Landricus, abbas sancti Petri Carnotensis, 1033-1069.
cum omnibus mihi commissis fratribus, notum esse volumus cunctis

sancte Dei ecclesie fidelibus tam presentibus quam futuris, quia adiit presentiam nostram quidam vir, Ascelinus nomine, petens obnixe quatinus concederemus duobus filiis ejus, Herberto, Fulconi, et uni heredi eorum, terram que est in comitatu Corbonensi, nomine Vilers, ad locum sancti Petri Carnotensis pertinentem, cum omnibus que ad eam pertinere videntur : id est, silvas, prata, campos tam cultos quam incultos, et dimidium molendinum. Cujus peticionem libentissime suscipiens, per consensum monachorum mihi commissorum, voluntati ejus assensum prebui ; ea ratione, ut, quandiu vixerint duo filii ejus et unus eorum heres, per cartule hujus actoritatem teneant firmiterque habeant et possideant, eo tamen pacto, ut, omnibus annis, in festivitate sancti Petri que est III° kalendas julii, solvant in censu solidos V. Quod si ex hoc negligentes aut tardi extiterint, legibus universaliter scriptis emendent, et postea ut tenebant teneant. Ut autem hec actoritas firmiter per omnia habeatur, manu mea eam subsignavi et quidam monachorum sancti Petri Carnotensis cenobii. Actum sollempniter, V° idus septembris. S. abbatis Landrici. S. Gauterii prioris. S. Guinefredi. S. Arefasti. S. Durandi. S. Ernaldi, Roberti, Odonis. »

XL.

De terra apud Planchas in quarteriis, a Hugone et Rogerio fratribus nobis data ; itemque de decima quadam a predicto Hugone, et de pratis ab ambobus fratribus ecclesie nostre donatis.

« Et presentium et qui futuri sunt fidelium noticie memorieque scripto hoc notum, certum et indubitabile fiat, quod duo fratres de Melicurtis, quorum alter Hugo alter Rogerius dicebatur, quandam terram, quam Planchis in quarteriis habebant, nostre, monachorum videlicet sancti Petri Carnoti, ecclesie, in honore beatissime Virginis Marie dedicate, pro sua suorumque ibidem sepultorum parentum salute, dederunt. Ac Guido, ejusdem loci tunc prepositus, et qui cum eo manebat tunc Radulfus, predictorum fratrum erga nostram ecclesiam dilectionem benivolentiamque attendentes, pro eadem terra, gra-

tis, ut dictum est, ecclesie nostre collata, XXX ei solidos, quo eorum beneficium firmius stabiliusque fieret, rependerunt. Rogerio quoque de Planchis, a quo jam dicti fratres eandem terram tenuerant (in illius namque fevo erat), ob concessionem firmitudinemque ejusdem beneficii, unum palefridum dederunt; uxoris etiam sue petitioni super hoc satisfecerunt. Hoc autem beneficium ita nobis libere atque absolute prestitum est, ut nemini unquam alicujus pactionis debito serviremus. Hujus rei qui subscripti sunt testes presentes fuerunt : Rogerius de Planchis, Haois, uxor ejus; Robertus de Cante Lupo, Radulfus Sosbric; Willelmus, filius Lamberti; Garinus, frater ipsius; Willelmus de Super Rislo, Maugerius. Ex nostra autem parte : Garinus presbiter, Haimo, Adelelmus, Willelmus de Melicurtis, Hugo molendinarius, Robertus corvesarius, Radulfus pellifex.

« Alio quoque tempore, Hugo de Melicurtis totam totius terre sue decimam, pertinentis ad opidum cui nomen Molins, jam dicte ecclesie nostre de Planchis gratis donavit, et super altare ejusdem ecclesie, Guidone nostro ibi tunc preposito missam cantante, omnique qui ad ecclesiam convenerat populo vidente, eandem decimam obtulit; quod frater ejus Rogerius gratis concessit.

« Alio quoque tempore, quomodo terram, et prata loci ejusdem predicti fratres, Hugo scilicet atque Rogerius, nostre ecclesie de Planchis in beneficium contulerunt, et inde donum, quadam die dominica, cunctis qui ad missam venerant parrochianis videntibus, dum missa cantaretur, super altare posuerunt. Quod filii ipsius Rogerii, Echardus scilicet et Odo, gratanter concesserunt; immo, inde guerpum super altare ponentes, ambo pariter, cum patre et patruo, donum fecerunt; Rogerio, de cujus fevo res erat, et filiis ejus Willelmo, Roberto atque Gervasio presentibus, et idem beneficium consentiendo sive concedendo simul facientibus. Guido vero prepositus, et hoc beneficium eos nobis gratis prestitisse attendens, et eorum benivolentiam, predictis fratribus XX, Rogerio de Planchis IIII solidis datis, remuneravit, et collati beneficii nobis in posterum stabilitati previdit. »

XLI.

Quod Willelmus, filius Gauterii de Molins, reddidit nobis totam decimam omnium reddituum ejusdem castelli; simulque de ecclesia sancti Laurentii et XVI acris terre, itemque X aliis terre acris ab Odone Rufo donatis.

Circa a. 1090. « In nomine sancte et individue Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Ego Willelmus miles, filius Gauterii, qui castrum teneo de Molendinis, notum esse volo cunctis fidelibus christianis tam presentibus quam futuris, quia adierunt meam presentiam Carnotenses monachi sancti Petri cenobii, ut eis concederem, pro anima comitis ac filiorum ejus et pro mea salute, quasdam res quas, tempore Guimundi antecessoris mei [1], tenuerant, quasque amiserant quadam Normannie perturbatione. Libentissime quoque quod petierunt annui, ex his videlicet rebus quas recuperavi, hoc est : decimam omnium nummorum de castro supradicto, id est de censu, de theloneo, de vicaria, de banno; immo de omni redditu qui de castro exit. Dedi etiam feriam Planchis Ville, que est in nativitate alme Marie, VI° idus septembris, et theloneum totius ville. Precarias etiam et omnes consuetudines remisi, et adhuc pactus sum eis, ex his que recuperaturus sum per clementiam domini mei Willelmi comitis, ea scilicet que monstrare potuerunt se habuisse tempore supradicti Guimundi; hoc est, decimam de Terciaco, tam de terra quam de farinariis seu de piscatoriis. Et ut hec donatio firma permaneat, obnixe precor dominum meum Willelmum comitem, pro remedio anime sue et pro meo amore, ut manumissione corroboret, suisque principibus corroborandam tradat; ego vero hanc donationem uxori mee necnon et filiis meis annuere faciam. Si quis vero hanc donationis cartam quolibet modo infringere voluerit, comiti mille libras argenti componat, et dehinc jaculo maledictionis dampnatus pereat cum proditore Juda. Fiat. Fiat. Placuit etiam subscribere nomina illorum qui hanc donationem viderunt poni super altare sancti Petri Carnotensis, ab ipso videlicet Willelmo milite, idus februarii, die dominica : Guascelinus, filius Richardi; Richardus, filius Gulberti; Ebrar-

[1] Conf. hujus Guimundi donationem, part. I, lib. VII, cap. XXIII, p. 145 sq.; lib. VIII, cap. IV, p. 230.

dus de Rive, Radulfus nepos; Willelmus, filius Milonis; Christianus de Asperis, Radulfus de Clino Campo; Odo Rufus, de Planchis. Iste quidem, eodem die, dedit sancto Petro ecclesiam sancti Laurentii, que est sita juxta ripam fluminis Risli, et XIII acras terre juxta ecclesiam et tres alias ultra fluvium, acramque unam prati, cum decima sui molendini et aratrorum suorum; et, assensu ejus, tres acras emerunt monachi a Hamone suo milite. † Ipse Odo firmavit manu sua ista cruce cum conjuge sua Osburgi, et iterum dedit sancte Marie X acras terre; IIII[or] ad unum pomerium, et VI ad murges. Hujus rei sunt testes: Serannus, suus prepositus; Teboldus Munnarius; Corbelinus pelliparius, et Malgerius, filius ejus, et Restaldus meditarius, filius ejus; Radulfus, Corbellus de Planchis; Giraldus, et Turoldus, noster minister de molendinis. †††. Willelmus, Willelmus filius, Robertus filius; Albereda, mater eorum, fecerunt tres cruces manibus suis, et annuerunt hanc donationem carte sancto Petro Carnotensis cenobii, et miserunt super altare sancte Marie de Planchis. Et viderunt Guascelinus, filius Richardi; Herbertus de Melicurtis et Radulfus, frater suus; Frotlandus, Willelmus presbiter, Gauterius Bulum. »

XLII.

Huic chartæ, quam edidimus superius, part. I, lib. VIII, cap. VII, p. 252 sqq., addenda sunt, ex Cod. Argent., quæ sequuntur :

« Hoc autem prefati Sulpicii donum quando Bernuinus, frater ejus, concessit, viderunt hii : Rainerius; Stephanus major et Salomon, fratres; Teduinus et Gaudius, fratres, et plures alii. Quando vero Theodoricus, nepos Sulpicii, concessit, affuerunt hii : Stephanus major; Teduinus et Gaudius, fratres; Gaufridus et Hildulfus, Ernaldus et Oidelerius. Hec vero ambe concessiones in fine vetusti epistolarum Pauli codicis plenius sunt conscripte. »

XLIII.

De terra a Pagano de Sancto Germano ibidem nobis data et a nepotibus ejus, et omnibus dominis capitalibus concessa et a multis aliis impedimentis liberata.

Paganus, de Sancto Germano, terram suam, in eo loco sitam, largitur Willelmo abbati monachisque sancti Petri, cum assensu dominorum ejusdem terræ, quorum nomina sunt 1101-1116.

hæc : Rainaldus, filius Gauterii; Hugo de Chaleto et Paganus de Regimalastro[1]. Testes præcipui : Garnerius de Salamevilla, Rainaldus de Ulmetico, Gerogius de Raeli, Paganus de Croso, Ebrardus de Rascuerio, Radulfus de Albetis, Guasco de Vischeriis, Amalricus forestarius, Paganus de Grosso Luco, Willelmus de Montboon.

Posthæc subsequuntur illa, quæ satius erit ad verbum referre :

« Terra hec[2] cum sic a nobis, non sine grandibus expensis, acquireretur, habitatoribus et cultoribus carens, deserta et, sicut inutilis, neglecta fere tota jacebat. Habebat autem Paganus, qui prior terram illam dederat, nepotem unum et neptem, filios fratris sui, ad quos terra hereditarie post Paganum pertinebat; qui a quodam consobrino suo Garino in angustissima paupertate nutriebantur. Solis enim stupeis camisiolis, etiam frigoris acuti tempore, vix tegebantur; macilentia vero facierum probabat quod eos ciborum largitas non alebat. Hos, quamvis tunc eis terra nichil prodesse posset, cum, sicut diximus, deserta et a patruo possessa et ab eis X leugarum spacio separata esset, adivimus, et duobus eorum consobrinis quod de terra feceramus innotuimus, et ut pueros concedere facerent postulavimus, et nos erga eos quod bonum esset et equum spopondimus facturos. Quid multa? Et consobrini et pueri alacri mente concesserunt, ut ecclesia nostra totam terram, sicut Paganus dederat et domini concesserant, perpetue teneret; hac ratione tamen, ut nos eorum curam ab illa die, donec sui curam scirent et possent gerere, gereremus, et, ubi ad illam etatem pervenirent, terre medietatem ab abbate loci nostri reciperent, et pro ea, ut oporteret, eidem abbati et ecclesie nostre servirent. »

Nihilo tamen minus de terra prædicta monachis sancti Petri litem intenderunt : 1°. Chotardus, qui terram se emisse dicebat a Willelmo filio Rainaldi, filii Gauterii, concedente Pagano de Regimalastro; 2°. Radulfus miles, cui Paganus de Regimalastro, præteritarum pactionum immemor, eandem terram præter jus vendiderat; 3°. Robertus de Tarzeis, qui asserebat Hugonem de Chaleto, quum filiam suam filio Roberti collocaret, omnia quæcunque ad Auduram habebat, eidem filiæ suæ dedisse. Quarum expostulationum prima composita est ab Adela comitissa coram Hugone Mansello de Na aliisque testibus; altera, quodam pacto inter partes inito, præsentibus Gaufrido, filio Alcherii mimi, Ro-

[1] Vid. inferius, c. XLVII et XLVIII.

[2] I. e. terra a Pagano de Sancto Germano donata.

berto pistore, Roberto marescallo, Ernaldo corvesario, et aliis. Tertiam vero dimisit ipse litigator Hugo de Tarzeis, ne ab Ivone episcopo Carnotensi excommunicaretur.

XLIV.

Quod Christianus tercium denarium de bosco nobis a Garnerio de Salamervilla vendito ecclesie nostre donavit.

« .... His igitur fiat notum litteris quod quidam homo, Christianus dictus, tercium denarium qui sui juris erat, in bosco quem Garinus de Salamervilla nobis ante, non multum tamen, vendiderat, nobis monachis sancti Petri Carnoti, pro sua suorumque parentum salute, donavit. Affuit ad hoc uxor ejus Ermentrudis et concessit, et Angardis, filia ejusdem, et Radulfus et Landricus filii. Videntibus cum eo : eodem Garino de Salamervilla, Pagano Sarcello. Nobiscum : Roberto, filio Quintini, medico; Johanne de Hasta; Odone de Germenunvilla, majore; Symone, fratre ejus; Adventio milite. »

XLV.

De terra de Haste apud Cluvillare Radulfo commodata, et de pacto cum filio ejus Stephano.

« Memorie commendetur succedentium, quia quidam homo, Radulfus nomine, terram que dicitur de Hasta, que est apud Cluvillare, a nobis tenebat; eam enim accommodaveramus ei, ut eam lucraretur quandiu nobis placeret. Post cujus obitum, filius ejus Stephanus eam nobis calumpniari cepit. Sed tandem, sui juris ibi nichil inveniens, eam dimisit. Nos autem, partim ejus miserti paupertatis partim ne alios, quamvis injuste faceret, parentes ad calumpniam promoveret, in vita sua, per singulos annos, ei statuimus dare tres sextarios annone et III avene; sic tamen, ut, si aliquis procederet qui eam nobis calumpniaretur, nisi eam terram ab ejus calumpnia deliberaret, de VI dictis sextariis omnino nichil acciperet. Actum est hoc in capitulo sancti

Petri. Ex parte ejus affuit Robertus de Sancto Germano, filius Teboldi. Ex nostra parte : Odo Adventii, Salomon major; Gauterius, Johannes, Cochardus, coci; Gosbertus Luscus, Petrus Geta, Constantius molendinarius. »

XLVI.

Quomodo Radulfus, filius Erardi, ecclesiam sancti Germani, cum dimidia decima et terra sua, nobis concessit, et ut utrumque, post mortem filii ejus, totum ecclesie nostre sit futurum.

« .... Ego Radulfus, filius Erardi,.... legitima donatione concedo sancto Petro ecclesiam sancti Germani cum cimiterio, preter duas areas : unam ubi filius meus Stephanus domum propriam construet, alteram in qua quidam famulus meus domum habebit, de qua ipse censum annuatim exsolvet. Dimidium quoque arabilis terre quam ibidem teneo et dimidietatem decime, et, post obitum filii mei, totum sancto Petro, annuente ipso filio meo, perhenniter relinquo. Et hoc attendendum, quia dimidium census foris cimiterium hospitantium in mei juris portionem cedet; cum autem filius meus ad presbiteratus gradum promotus fuerit, locabunt ei monachi unam de suis ecclesiam, cui ipse serviat et unde sustentationem vite sufficienter, nisi forisfecerit, habeat. Huic donationi presentes hii fuerunt testes : Robertus de Morvillari, Hugo, Haimardus de Larascueria, Robertus de Matunvillari, Hugo prepositus, Germandus de Sancto Albino. Ex parte monachorum : Laurentius, Adventius miles; Gaufridus, Gauterius, Gilduinus, coci; Christianus janitor; Robertus, frater ejus; Durandus, filius Tescelini. »

XLVII.

Quod Rainaldus, filius Gauterii, concessit quicquid de fevo suo apud sanctum Germanum nobis daretur; et de dimidio avene modio apud Ancheri Villam, cum uno per annum convivio, ab ipso nobis donato.

1101-1116. « Attestatione scripti presentis noscat subsequentium propago fidelium, quod Rainaldus, filius Gauterii, annuentibus conjuge sua, no-

mine Rachalde, et filiis suis Willelmo, Walterio, Bernardo, inviolabili dono attribuerit hoc sancto Petro; ut, si quis aliquid de ejus fevo, quod est apud Domnum Germanum, sancto Petro donare voluerit, ipse Rainaldus tota mentis alacritate concedit. Donavit quoque sancto Petro, pro anima sui patris et sua, quicquid habere videbatur in terra sancti Petri in Ancheri Villa, id est, dimidium unius modii avene et unum in anno convivium. Ob cujus doni gratiam, Guillelmus abbas remuneravit Rainaldum quodam caballo ambulatorio, tres libras appreciato. Hii fuerunt testes ex parte Rainaldi, quorum nomina subnexuimus : Ansoldus Infans; Petrus, quidam miles ejus; Rainaldus de Ultimetico; Tetbaldus, filius Ligerii; Radulfus de Ansoldi Villa. Ex parte nostra : Laurentius, Adventius, Fulchardus, Berengarius; Robertus, filius ejus; Arraldus, Gaufridus cocus; Arroldus, filius Ansoldi; Durandus faber, Cochardus, Petrus sartor. Hoc idem donum superius descriptum sue benignitatis favore confirmavit Paganus, supradicti Rainaldi frater germanus, presentibus his testibus : Arroldo vicecomite, Gaufrido de Beevilla, Rainaldo de Britinniaco. Ex parte nostra,.... Hugone de Chavanis. »

XLVIII.

Quod Paganus de Remalast, cum uxore et filiis suis, carrucatam terre apud Sanctum Germanum, a Hugone Cholet nobis datam, concessit.

« Presenti scripto memorie succedentium firmiter inhereat, Paganum de Regimalastro calumpniam cujusdam terre, que est apud Domnum Germanum, annuente conjuge sua cum filiis, penitus sancto Petro dimisisse, et terram unius aratri ibidem concessisse, quam jampridem Hugo Cauletus donaverat. Hujus concessionis hii affuerunt testes : Gaufridus, filius ipsius Pagani; Adventius; Rainardus, filius ejus; Durandus pistor, Odo pistor, Durandus sartor, Christianus, Gilduinus juvenis, Gaufridus clausor, Godescaldus major, Albertus carpentarius. »

XLIX.

De XVIII denariis census de molendinis de Bruerolis : XII scilicet a Theodorea, uxore Macelini de Crevent, et filiis ejus remissis; sex vero reliquis ab Amboldo de Crevent et uxore et filiis ejus condonatis.

« Omnibus quibus oportuerit notum esse fidelibus volumus, nos sancti Petri Carnoti videlicet monachi, quia Teodorea quedam, relicta uxor Mascelini de Crevent, pro anima ejusdem viri sui, recens defuncti, et sua, donavit ecclesie nostre et sancti Germani ecclesie de Bruerolis XII denarios census, quos nostra obedientia de Bruerolis ei annuatim reddere consueverat, de nostris quos ibidem habemus molendinis. Quod matris sue donum primogenitus filius ejus Gauterius libenter concessit; immo, tam paterni quam materni beneficii donum et ipse cum matre fecit; similiter et alii duo ejusdem Mascelini et Teodoree filii. Ejusdem vero Gauterii germani, Godefridus atque Albinus, una cum sorore sua, hoc concesserunt. Sed et frater predicti Mascelini, Emboldus de Crevent, hoc idem, pro anima fratris sui, beneficium libenter concessit; et insuper VI denarios, qui sibi pro eisdem molendinis annuatim de censu debebantur, eidem obedientie nostre remittendo, et ipse in elemosinam donavit. Cujus donum et uxor ipsius Ermelina, et filii Willelmus atque Paganus, et filie Legardis et Ermengardis, libenti omnes animo concesserunt. Hoc autem et precedens XII et subsequens VI denariorum census donum viderunt qui subscripti sunt testes : Sulpicius decanus, Hugo Bernerii; Paganus, frater Baudrici; Paganus de Bosco, Odo de Plano Campo; Sulpicius, filius Germundi; Ogerius, frater Pagani, et plures alii. »

L.

De decima de Lamervilla a Bernardo data et a Mascelino, filio ejus, et sororio suo Fromundo invasa et reddita; simulque de decima de Albuthon, a Roberto de Matunvillari; itemque de dimidia decima de Sevart, cum remissione calumpnie decime de Pomeria et de Bosco Gilberti, a Gauterio et Roberto fratribus; sed et de decimis de Noa et de Pontecharten a Seinfredo; de decima etiam de Fontaneto, partim ab Amelina partim a Huberto Guimundi, et de decimis ab Odone de Plano Campo donatis.

« Sciendum quod Bernardus de Lamervilla donavit eidem ecclesie nostre de Bruerolis decimam de Lamervilla; et iterum, cupiditate cecatus, invasit eam. Postmodum vero, in infirmitate positus, coactus timore mortis, eandem decimam, guerpo super altare sancti Germani posito, eidem ecclesie nostre reddidit, multis astantibus. Quo defuncto, filius ejus Mascelinus predictam decimam invasit et abstulit. Qui postmodum, vulneratus et mortis timore compulsus, quam abstulerat nobis decimam, coram multis, injusticiam suam recognoscens, restituit. Sed hoc defuncto, sororius ejus Fromundus et soror Leticia eandem decimam reinvadentes abstulerunt. Isti etiam a Moyse, tunc priore Bruerolensi, et Sulpicio decano rogati et commoniti, ab injusta invasione resipuerunt, et decimam eandem, guerpum coram multis super altare ponentes, reliquerunt. Huic autem rei testes affuerunt : Sulpicius decanus, Godefridus de Bosco Terree, Germundus; Hugo, filius Bernerii; Hubertus, filius Guimundi; Sulpicius, filius Guimundi, et multi alii. Alio tempore, Robertus de Matunvillari, in infirmitate comprehensus, vocatis ad se Rainberto, tunc priore Bruerolensi, et Sulpicio decano, per manus eorum dedit sancto Petro decimam de Albuthon, pertinentem ad predictam ecclesiam de Bruerolis, concedentibus uxore sua Aalina, et filiis Guastinello, et ceteris qui loqui poterant. Alio quoque tempore, Gauterius et Robertus fratres dederunt sepenominate ecclesie dimidiam decimam de Sevart, quod concessit Frodo miles, de quo eandem decimam tenebant, et uxor ejus, et filius ejus Willelmus. Sed et calumpniam cujusdam decime nostre de Pomeria et de Bosco Girberti, pertinentis ad nostram

ecclesiam de Cruceio, pro salute animarum suarum, jam nominati fratres remiserunt. Quodam similiter tempore, Sainfredus de Noa, infirmatus, dedit eidem ecclesie nostre de Bruerolis decimam de Noa, et decimam de Pontecharten, et alias decimas suas; quorum omnium donationem concessit Bartholomeus, de quo eas tenebat. Dicendum quoque, de decima de Fontaneto, quod quandam ejus partem dedit nobis Emelina, mater Frodonis; aliam partem, Hubertus, filius Guimundi, et Maria. Sed et Odo de Plano Campo omnes decimas suas nobis dedit, et uxor ejus et filius ejus. »

LI.

Quod Girardus Guimundi de molendinario molendini de Bruerolis injustam se calumpniam fecisse recognovit.

1172-1193? « Recognitio injuste calumpnie quam [1] de molendinario molendini quem apud Bruerolas Girardus, filius Guimundi, et monachi ejusdem loci communiter possident. Recognovit igitur ipse Girardus, quia neque in molendinario neque in molendino, proprium aliquid habere debeat; sed utrumque ipse et predicti monachi communiter possidere debeant; videntibus et audientibus his. Ex parte monachorum : Normanno, tunc priore; Stephano abbate [2]; Roberto, Huberto, Arroldo monachis; Rodulfo, presbitero de Vitraico; Rainoldo Huberti, Garino Gazel, Hugone Bernerii, Odone de Plano Campo; Pagano, Hogerio fratribus, filiis Godefridi; Sulpicio, serviente monachorum. Ex parte Girardi : Huberto, fratre ejus; Hogerio milite, Fulcherio milite; Rogerio, milite de Belchia; Arnulfo Grisiels [3]. »

[1] Expung. videtur vox, *quam.*

[2] Stephanus I, abbas sancti Petri Carnot., sedebat a. 1172, obiitque 26 april. 1193. Utrum vero de illo, an de alio Stephano, alius cujusdam monasterii abbate, sermo habeatur in instrumento, non satis liquet. Res enim agitur cum solis monachis Bruerolensibus; inter quos, qui primum locum obtinebat titulo duplici abbatis et prioris, forsitan oscitantia amanuensis, insignitur supra, c. XI, p. 523.

[3] Chartæ quæ sequitur titulus est : *De decima de Poleneia calumpniata a Rainardo et concessa;* quam habes superius, c. V, p. 519, nominibus tamen propriis tantisper dissimilibus.

LII.

Donatio ecclesie sancti Christofori, cum cimiterio et hospitalitate monachi, facta a Garino filio Gaudini.

« Celestium infinitate premiorum, aure cordis intellecta et suscepta, humanus animus tanta jocunditate illectus, de his que transitorie bonis occupat vel plurima vel cuncta, pro tante beatitudinis adoptione, largiri non trepidat. Ut igitur in hujus beatitudinis sorte, Deo opitulante, collocari merear, ego Garinus, filius Gaudini, perhenni sanctione, annuentibus fratribus meis Roberto et Amalrico, pro animabus nostris et predecessorum nostrorum, ecclesiam sancti Christofori, cum cimiterio et hospitalitate monachi, sancto Petro monachisque ejus Carnotensis cenobii solidam ac liberam attribuo. Hanc donationem Gauterius, filius Richardi, sui assensus munimine roboravit; idem Gislebertus, Ebroicensis episcopus, confirmavit. Ex parte Garini : Robertus et Amalricus, fratres ejus; Gauterius, filius Richardi. Ex parte sancti Petri : Laurentius, Adventius, Rogerius decanus; Girardus et Fulo, fratres ejus; Gauterius cocus; et Roscelinus, filius ejus; et Johannes cocus. » Ante a. 1113.

LIII.

De molendinis de Bero a Gaufrido nobis per medium communicatis; et de carrucata terre apud Aliarium, cum licencia piscandi in aquis suis, et uno arpenno terre cum hospicio uno nobis datis.

« In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Notum sit omnibus Anno 1096.
unius ac universalis ecclesie filiis, quia ego Gaufridus de Bero, de malefactis meis penitens, hujus rei gratia, de rebus meis quas ab ignotis predecessoribus jus hereditarium mihi commendaverat, monachis sancti Petri Carnotensis cenobii eodem jure per secula possidendas, uxore mea, filiis filiaque, necnon fratre, parentibus ac dominis meis concedentibus, concedo et confirmo. Hec autem omnia, ne sub hujus proemioli serie indiscussa remaneant, singula subterius assignata sequens pagina revelabit. Sed ne interim, aliquibus de medio amputatis,

hec nostra donaria in aliquo ideo infirmata videantur, huic carte inserendum decrevimus, quod, abbate et predictis monachis horum donariorum stabilitati previdentibus, ab eisdem, hujus rei gratia, ego, nomine Gaufridus XII libras Carnotensium, et filius meus Gaufridus pullum, XXX solidis appreciatum, accepimus. His igitur diffinitis, que sint donaria et qualiter data, dantia [1] et concedentium nomina videantur. Apud Bero, duorum molendinorum retinens medietatem, ut eam mihi heredibusque meis solidam ac quietam retineo, ita aliam eorundem molendinorum medietatem ipsis monachis, tam in piscaria quam in ceteris aliis utilitatibus sive consuetudinibus, quiete ac solide possidendam concedimus. In reliquis vero gurgitibus, ad minutias et anguillas tantum capiendas, per omnia omnibus diebus unius piscatoris assiduam piscariam, concedimus. Concedimus etiam priori et ceteris monachis de Bruerolis, quando ad opus sue comestionis piscari voluerint, ut prescriptum per omnia piscatorem, aut alium si voluerint, ad omnes pisces cum custodia piscari faciant. Si autem abbas ejusdem Carnotensis cenobii in partibus ipsis affuerit, quotiens et cum quibuscunque piscatoribus voluerit, cum igne et aliis omnibus modis, ad omnes pisces per omnia piscari faciet. Sciendum etiam, quia quotquot molendinarii saltus in prefatis gurgitibus inveniri poterint, eos inter nos et ipsos monachos ita participes esse concedimus, ut, si nos et ipsi unum aut plures molendinos inibi conformabimus, uno aut pluribus conformatis, sicuti in prescriptis molendinis per omnia comparticipabimur, sic erit in istis. Si autem ipsi soli, aut ego et non ipsi; qui solus eos preparabit, solus eorumdem redditus, donec justum fuerit, possidebit. Restat itaque, apud Bero, agripennum terre cum hospiciali, et, ad Aliarium, sufficiens carrucata terre; que, ut superiora, illis concedimus. Concedimus etiam eisdem, de silva proxima huic terre, pascuale propriorum porcorum suorum, et medietatem pascualis omnium quoscunque in eadem silva hospitari sibi voluerint. Quos ita illis relinquimus omni inquietate absolutos, ut nichil omnino unquam ab eis requiramus, preter illud quod dictum est, medietatem videlicet pascualis eorum. Hec igitur sunt acta anno ab incarnatione MXCVI°,

[1] Leg. *dantium*.

indictione IV[a]. Dantes : Godefridus de Bero; Eufemia, uxor ejus; Gaufridus, filius ejus; Radulfus; Gislebertus, Richardus, filii ejus; Adelina, filia ejus. Testes ex parte dantium : Petrus, frater G.; Gislebertus, filius Aicardi; Willelmus, filiaster G. de Bero; Geraldus de Transbosco, Sulpicius, Chotardus, Gauterius Richardi, Willelmus Aivardus; Fulco, filius G. de Vadis; Vitalis de Trembleio, Willelmus de Curtellis. Testes monachorum : Herveus de Menovillari, Bartholomeus de Fontanis, Odo prepositus, Robertus de Matunvillári; Robertus, filius Frodonis; Robertus de Belfo; Germundus, famulus Huberti monachi; Stephanus, filius Rogerii; Robertus portarius; Gaudius et Teduinus, fratres; Odo, filius Herberti; Robertus infirmerius, Adventius sartor; Rainaldus, filius Arnulfi; Stephanus de Canfolio, Durandus faber, Tescelinus de Reconvillari; Ivo, filius Hatonis. Concedentes : domni Gislebertus de Tileriis; Hersendis, uxor ejus; Gislebertus et Ribaldus, filii ejus. »

LIV.

Quomodo calumpnia quedam, a Gaufrido de Bero de prescripto patris sui dono facta, postmodum fuerit depulsa

« Quid cause extiterit ut hoc cyrographum renovaretur, hoc est, 1101-1129.
absque ulla vel sententiarum vel verborum mutatione, ex vetusta in nova pagina transcriberetur, ego frater Willelmus, Dei gratia, abbas sancti Petri Carnoti, omnibus et qui nunc et qui futuri sunt fidelibus, nequaquam volui esse incognitum; in quo quid utilitatis posteris previderim facillime ex consequentibus colligi posse non nescio. Aliquando itaque, prelationis mee tempore, Gaufridus de Bero, filius Gaufridi senioris, qui et Jerosolimam profectus est, cui hoc ipsum cognomen fuit, hoc est de Bero, et ex cujus beneficio que hoc significantur cyrographo donaria possidemus, nos super molendinis de Bero, perdita, ut vulgaris usu dictum sit locutionis, parte sua de cyrographo sibi a patre suo dimissa, inquietavit, et eos scilicet molendinos, et quicquid nobis pater suus dederat nobis tollere cupiens. Nos vero, parte nostra de cyrographo ad medium, in publico placito, in curia Gisleberti de Tileriis, incunctanter prolata, et quod et quando et quomodo pater

suus, ipso etiam concedente, que nobis[1] conabatur dedisset ostendimus. At ille, eorum que cyrographum nostrum dicebat nichil se scire dicens, non verum, sed falsum ficticiumque hoc ostendere contendebat. Quid multa? Hujus inter nos et ipsum altercationis contentio diu et per multa placita protracta est. Postea vero quam diu calumpniando, sepius nobiscum, immo contra nos, placitando nos fatigavit, acceptis a nobis LX solidis Carnotensium, cyrographum nostrum verum esse, et a suo quod perdiderat in nullo discrepare tandem recognovit, atque hoc transcribi et renovari, sibique de transcripto partem dari acquievit. Quod ita factum est. Nam in tribus cartulis cyrographum transcripsimus; quarum altera nobis retenta, atque altera ipsi scilicet Ganerio[2] tradita, terciam domno Gisleberto de Teleriis servandam commendavimus; ut, si forte aut ipse Gaufridus aut de ejus stirpe aliquis, a veritate gestarum rerum vellet ulterius exire atque deviare quocunque modo, eodem domni Gisleberti cyrographo constrictus ac repressus, nullius nos calumpnie molestia prevaleret inquietare. Cui videlicet cyrographi renovate confirmationi, atque confirmate renovationi interfuerunt qui subscripti sunt testes. Ex parte domni Gisleberti, in cujus hec gesta sunt curia : Ipse cum uxore sua tunc Laurentia; Symon de Islo; Willelmus de Curtellis, dapifer ipsius; Garinus de Verisceolo, Arnulfus Potinus de Islo, Gastho de Remalast. Ex parte Guafridi de Bero : Gaufridus Gastinellus, frater ipsius, quo proloquente atque mediante, hec confirmatio atque concordia inter ipsum scilicet fratrem suum et nos facta est; Radulfus de Lomis, Willelmus Esveillardus, Rogerius villanus; Ernaldus, armiger ipsius Gaufridi; Radulfus, dapifer ipsius. Ex parte autem nostra : ego frater Guillelmus abbas, et tres ex monachis nostris mecum, Baldricus, tunc bajulus meus; Rainerius, tunc prior de Bruerolis; et Bernardus; Sulpicius decanus, Willelmus de Britogisilo; Guimundus, frater Sulpicii de Bruerolis, cum Huberto et Girardo, filiis suis; Hugo et frater ipsius, filii Bernerii; Willelmus Gazel, Odo de Plano Campo. Hanc noticiunculam, et novo et vetusto cyrographo idcirco apponi et assui voluimus, ut non solum quomodo que ipsis significantur habuerimus, verum etiam quomodo ab illate

[1] Suppl. *auferre*. [2] Leg. *Gaufrido*.

nobis a Gaufrido super his calumpnie impedimento nos expedierimus, simul inveniatur. »

LV.

Donatio ecclesie de Treione a Guerrico vicedomino facta, cum furno ejusdem ville et una carrucata terre, cum molendino etiam de Spino et quadrante molendini de Dexaia; simulque quomodo furnus idem a Hugone, ejusdem Guerrici filio, ablatus, postmodum a Helissende matre ejus sit redditus; sed et de capella sancti Martini et de area filiorum Cochardi, cum decima quadam et dimidio arpenno vinee, ab eadem Helisende donatis; quoque modo Willelmus de Ferrariis et uxor ejus Isabel omnia predicto loco data concesserunt.

« Scripture sacre auctoritate reus convincitur non solum is qui aliena rapuerit, sed et is qui de propriis, pro Dei amore, nichil largiri voluerit. Quod utrumque videlicet periculum Guerricus, hujus Carnotensis civitatis vicedominus, volens evadere, consensu et concessu fratris sui Alberti, dedit nostro, sancti Petri Carnoti scilicet monasterio, ecclesiam sancte Marie de Treione, cum tercia minutarum decimarum portione, pro remedio scilicet anime sue et patris sui H., qui hoc ipsum donum et voluerat facere et voverat, si, morte surripiente, non perfecerat. Dedit autem eam, sicut et ipse possidebat, liberam ab omni ecclesiastica exactione, salvo tamen pontificali jure. Adjecit insuper in hoc dono etiam locum, juxta eandem ecclesiam, officinis monachorum construendis et orto faciendo sufficientem; terram quoque ad unam carrucam, cum molendino de Spina libero et integro; sed et quadrantem molendini de Dexaia totum et integrum, cum dimidio vinee clauso. Concessit etiam, cum predicto fratre suo Alberto, ut cunctis in ejusdem ville fevatis, quicquid vellent et ipsis ecclesie nostre dare liceret et nobis accipere. Quorum omnium testes sunt quorum nomina subter sunt annotata : Ingerrannus decanus, Adelardus subdecanus, Ascelinus Brito; Gausbertus, magister scolarum; Bernerius, Auffridus, Gerogius canonici; Fulcherius, filius Nivelonis; Rainaldus, filius Flealdi; Gauslinus de Leugis, cum filio suo Gauslino; Garinus, filius Gauffridi; Goffridus, filius Garini; Balduinus, Gauterius, Blanchardus; Ingenulfus, filius Norberti; Ansoldus de Mungeri Villa.

Ante a. 1103.

« Postmodum autem, prefato eorum que supradicta sunt datore defuncto, Guerrico scilicet vicedomino, uxor ipsius, nomine Helisendis, ecclesie de Treione, immo omnium que suprascripta sunt donum, pro ejusdem viri sui et sua salute, concessit et confirmavit; et insuper in elemosinam furnum ejusdem ville et totius agriculture sue decimam adjecit. At vero filius ejus Hugo, solius furni de Treione donum dicens se nunquam concessisse ecclesie nostre, violenter eum abstulit, ablatumque tota vita sua sibi detinuit. Verum eo, gravi nimis et dolendo casu, postmodum extincto, predicta mater ejus Helisendis ablatum nobis a filio suo furnum reddidit ecclesie nostre, ne videlicet ejus injusta ablatio ablatoris anime posset obesse. Preterea capellam sancti Martini, quam dicebat nunquam antea nobis fuisse datam, et aream quandam filiorum Cochardi, quam ipsa adquisierat, et terre eorum decimam et dimidium agripennum vinee, ad serviendum altari in ecclesia sancte Marie, que est apud eandem villam, pro remedio anime viri sui et sue et filii sui defuncti et omnium antecessorum suorum, sancto Petro tribuit. Quam videlicet furni redditionem, consilio Ivonis episcopi, et Stephani, filii sui, sancti Johannis de Valeia abbatis, per manum Gaufridi de Leugis, sancte Marie canonici adhuc, postmodum vero episcopi, in monasterio nostro misit et obtulit, presente et vidente, cum aliis pluribus, Roberto de Bello Videre, clerico adhuc, postea vero nostri monasterii monacho.

« Nec multo post Willelmus de Ferrariis, gener ejus, ad quem predicta omnia hereditario jure pertinebant ex parte uxoris sue, Treionem venit; et quecumque Guerricus vicedominus et Helisendis uxor ejus sancto Petro dederant, ipse et uxor ejus Isabellis, nullum adhuc habens filium, concessit et dedit, et, ad memoriam et confirmationem rei hujus, in predicta ecclesia, super altare beate Marie, obtulit. Huic rei testes affuerunt : Willelmus de Fraisneto et Rainaldus, frater ejus; Willelmus de Belfai; Gislebertus, filius Rogerii de Bretolio; Hugo de Brioncort; Willelmus Anglicus, Ricardus cocus; Stephanus et Gaufridus, canonici regulares; Gaufridus de Leugis, Erneius clericus, Ascelinus presbiter, Teardus clericus, Robertus de Frainvilla; Ernaldus, filius Rogrini; Ebrardus, filius Gaufridi Osculantis Diabolum; Tetbaldus prefectus, Rainaldus Potinus. »

LVI.

Remissio consuetudinum de Treione a Helisende et filiis suis facta.

« Evoluto denique prolixi temporis excursu, consuetudines quas prefati donatores memorate ecclesie sibi retinuerant, Helisendis vicedomina, annuentibus filiis suis Hugone vicedomino et Stephano, et sorore eorum Elisabeth, pro salute animarum suarum, et ut dies anniversarius Guerrici vicedomini et prenominate uxoris ejus Helisendis annuatim ageretur, istas consuetudines omnino sancto Petro dimiserunt; et ipsam ecclesiam, cum domibus monachorum ibidem Deo famulantium, liberam ab omni consuetudinum exactione, nobis monachis sancti Petri, anno dominice incarnationis MCIII°, VII° kalendas marcii, coram subscriptis testibus, tradiderunt. Ex parte eorum : Pagano de Loisvilla;.... Theobaldo, filio Stephani.... Ex parte nostra :.... Gauterio, Gaufrido cocis, *etc.* » 23 febr. 1103.

LVII.

Quomodo Fromundus et Ascelinus prefectus et Hilduinus Vassallus et Roscelinus et Morinus quisque terre sue decimas dederunt.

« Sciendum quod Fromundus quidam, de salute anime sue sollicitus, totam decimam terre sue, remota totius heredis infesta calumpnia, sancte Dei genitrici, sub cujus titulo prenotata extat ecclesia de Treione, apostolorumque principi, assentientibus filio suo Symone, filiabusque Adelina, Aia cum Heremburge, dono perhenni dimisit. Sed et Ascelinus prepositus, anime sue in futurum salubriter precavens, decimam de fevo Treionis procedentem, assensum prebentibus sua conjuge Eremburge Herbertoque, nepote ejus, clerico, sancto Petro solide manu firma tribuit. Horum imitabili exemplo, veluti exhortatoria tuba clangente, ceteri de somno desidis vite ad salutem anime sue expergefacti, scilicet Hilduinus, cognomine Vassallus, decimam terre sue pari assensu sororum suarum Jeserdis, Odeline et Adeline; necnon et Roscelinus decimam suam de fisco Hugonis vicedomini, pari nutu filio- Ante a. 1107.

rum filiarumque suarum Rainaldi, Hervei, Heremburgis et Isceline; Morinus quoque, filius Aureni, decimam de fevo Treionis, in assensum coeuntibus filiis suis Leiterio, Gauterio, et conjuge, Aia nomine, cum filiabus Hermengarde, Hisabel et Ingelreia. »

LVIII.

De arpenno terre juxta molendinum de Spina a Hugone, filio Lamberti, cum decima terre sue, donato.

Ante a. 1107. « Hugo etiam, filius Lamberti, unum agripennum terre apud Molendinum Spine, cum decima terre sue de fevo Hugonis vicedomini, quam nobis auferens in propria revocaverat, concedentibus conjuge sua Hildegarde, filiisque Guidone, Garino, Ansoldo, necnon et filiabus Adelina et Legarde, satisfaciendo coram his testibus : Ascelino sacerdote, Leiterio, Rainaldo Potino, restituens; hii, inquam, omnes nominati supra expressi, hec decimarum dona, hic membratim notata, retrodicte ecclesie monachisque in eadem in divini officii sacris obsequiis sedulo excubantibus, firma perpetuaque donatione, nullius heredum infestatione per successiones generationum infirmanda, irrefragabili sanctione dicarunt. »

LIX.

De decima a Rainaldo, filio Fledaldi data et a Galterio et Rainaldo invasa et reddita.

« Rainaldus quoque, filius Fledaldi, decimam terre sue sancto Petro reliquit, quam, post ejus obitum, Gauterius, frater ipsius, in hereditatem succedens, nobis subtraxit, iterumque restituit. Gauterio quoque ad illam vitam transmisso, Rainaldus, filius ejus, paternam hereditatem suscipiens, eandem decimam nobis subduxit; sed facti penitens, satisfaciendo, eam, coram his testibus, perpetualiter habendam reddidit : Garino de Sancto Victorio, Gumbaldo; Pagano, filio ejus; Durando fabro; Samone, Rogerio, Odone, Gilduino et Willelmo pueris, Germundo de Gisiaco, Christiano, Arroldo, Laurentio; Rainaldo filio Ma. »

LX.

De decima a Gisleberto et Garnerio fratribus data.

« Gislebertus et Garnerius fratres, de Treione, dederunt nobis omnem decimam terre sue, concedentibus filiis et uxoribus, et omnibus cognatis eorum et domino suo, de manu cujus terram illam tenebant, in presentia monachorum Rainaldi, Harduini, Stephani. Videntibus istis testibus : Ascelino presbitero, Tebaldo prefecto, Hermano, Herberto Cossardo, Gauterio de Ponte. »

LXI.

De medietate ecclesie de Alneto a Symone de Islo Gaufrido episcopo reddita, et ab eodem ecclesie nostre donata, et a Willelmo de Vallepilon concessa.

« Ego Symon de Islo habebam ecclesie Alneti medietatem, omniumque reddituum ad eam pernitentium. Cumque multotiens a sapientibus viris audissem, tandemque id esse verum, Deo me illuminante, intellexissem, laicos scilicet, injuste et contra animarum suarum salutem res ecclesiasticas tenere, quas nonnisi ecclesie servientibus habere licet, volui etiam dimittere et dare monachis sancti Petri Carnotensis cenobii, pro animabus tam mea quam uxoris mee et filiorum et antecessorum meorum. Qui de manu mea eam recipere recusaverunt, dicentes nec sibi licere ut a me eam acciperent, nec michi ut eam illis darem, vel ut in manu mea retinerem. Cum igitur quid michi faciendum esset quererem, quandoquidem nec tenere poteram nec pro Deo donare, responderunt michi, ut, si bene me inde liberare vellem, irem ad episcopum; ecclesiam, cum satisfactione de eo quod male eam retinueram, ei redderem; et tunc, si vellem, rogarem eum ut illis ecclesiam donaret; nonnisi enim ab illo eam acciperent. Secundum igitur hoc eorum consilium, ad episcopum perrexi, domnum scilicet Gaufridum de Leugis, qui tunc noviter, post ordinationem suam, Roma redierat; ecclesiam ei, penitens et satisfaciens de eo quod injuste eam possederam, reddidi; ut monachis sancti Petri eam

Circa a. 1117.

pro Deo daret rogavi et impetravi. Nam domnum abbatem sancti Petri Willelmum, qui forte ibi tunc aderat ubi ecclesiam episcopo reddideram, ibidem tunc inde investivit, multis assistentibus : Gaufrido de Sancto Leobino, et Fulcherio, et Johanne de Curvavilla, et Joscelino, qui tunc tenebat obedientiam Treionis monachis sancti Petri; Willelmo quoque de Vallepilum, et Radulfo de Guito, fratre ejus, dominis meis a quibus ecclesiam tenueram; qui etiam, me rogante, hoc donum libentissime concesserunt; Ivone de Curvavilla, et multis aliis. Hoc actum est ad pontem qui dicitur Incidens Festucam. Paulo post istam donationem, venimus ego et uxor mea Tescea, et filii mei Garinus et Radulfus, in capitulum sancti Petri; ibique, coram abbate predicto et cunctis fratribus qui tunc aderant, concessimus donum ecclesie quod fecerat episcopus. Concessimus etiam ibidem beato Petro et monachis inibi Deo servientibus, quicquid daretur eis de feodo nostro in elemosinam, videntibus et audientibus multis. Ex parte mea : Gisleberto, Crispino, Garino de Treione; ex parte monachorum : Belino, Gilduino coco, Gaufrido coco, Johanne coco, et Tiberio scriba. »

LXII.

Quid consuetudinis Gervasio de Castro Novo in hominibus de Groslu statutum sit.

Circa a. 1105

« Quoniam variis tyrannice insecutionis violentiis nostros hospites, qui Groslu morantur, Gervasius urgebat, ut ab infinitis, quas fuge elongatione jam cogitaverant evadere, eriperentur pressuris, hujus consuetudinis gravamen ad tempus maluimus sustinere : videlicet ut unusquisque memorati loci colonus, quot boves jugum ferentes possideret, tot solidos Gervasio persolveret; idem de vaccis sub jugo gementibus. Et si Gervasius proprio corpore in expeditionis profectionem progrederetur, monachus prepositus, ab eo rogatus, suos homines summonebit cum eo proficisci. Si quis autem detrectaverit ire, eum justificante [1], legis sue exsolutionem Gervasius dabit. Si Gervasius quoque aliquod de castris suis, timens impetum insurgentis guerre, cujuslibet

[1] Sic.

4 mai. 1247. « Innocentius episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Bituricensi, Remensi, Turonensi, Senonensi et Rothomagensi archiepiscopis, et eorum suffraganeis, et dilectis filiis abbatibus, decanis, archidiaconis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis et clericis, per Bituricensem, Remensem, Turonensem, Senonensem et Rothomagensem provincias constitutis, salutem et apostolicam benedictionem. Ex parte vestra, fuit nobis, non sine multa instantia, supplicatum, ut constitutionem, in Lugdunensi concilio pro subventione imperii Constantinopolitani editam, in parte moderari, et in parte interpretari, paterna sollicitudine curaremus. Licet autem non libenter immutemus ea que, pro tam pio negocio, in generali concilio sunt statuta, volentes tamen vestre in hac parte satisfacere voluntati, moderationem et interpretationem membrorum prefate constitutionis venerabili fratri nostro episcopo Albanensi, de fratrum nostrorum consilio, duximus commitendas. Qui membra constitutionis ejusdem, moderatione in aliquibus adhibita, interpretatus est, deliberatione super hoc prehabita diligenti, prout in ejus litteris super hoc confectis, quarum tenorem de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus, plenius continetur; qui talis est : Universis presentes litteras inspecturis, P., miseratione divina, Albanensis episcopus, salutem in Domino. Noverit universitas vestra, quod, cum nuper, ex parte venerabilium patrum, Dei gratia, Bituricensis, Remensis, Senonensis, Rothomagensis et Turonensis archiepiscoporum, eorumque suffraganeorum, necnon et venerabilium virorum abbatum, decanorum, archidiaconorum, capitulorum, et aliorum prelatorum et clericorum dictarum provinciarum, fuisset domno pape humiliter supplicatum, ut constitutionem Lugdunensis concilii, pro subsidio Constantinopolitani imperii promulgatam, interpretaret et moderaret in quibusdam articulis, super quibus dicebant non modicum se gravari; nos, interpretatione

et moderatione prefata nobis a domno papa commissa, dictam constitutionem, de ejusdem domni pape speciali mandato et fratrum consilio, interpretati sumus, in quibusdam moderatione adhibita, in hunc modum : ut videlicet, in suo statu remanente quod de solvenda medietate proventuum illorum, qui in ecclesiis suis per sex menses in anno residentiam non faciunt personalem, in eodem concilio est statutum, proventus prebende cedentis vel decedentis canonici, in usus ecclesie sue vel alios, juxta ipsius ecclesie consuetudinem, integre et sine diminutione aliqua convertantur; ita quod predicta constitutio ad proventus hujusmodi nullatenus extendatur; quam etiam nullomodo extendi dicimus ad prebendas perpetuas, quas, in quibusdam ecclesiis, obtinent alique alie ecclesie seculares, monasteria, seu etiam alia pia loca. Nullus etiam ad solutionem vicesime, pro subsidio prefati imperii, teneatur, etiam si annuatim in redditibus habeat centum marcas. Si tamen proventus aliquorum, annis singulis, summam centum marcarum excedant, de eo quod ultra centum marcas percipiunt, terciam partem solvere tenebuntur; sive sint in suis ecclesiis residentes, sive alias, a prestatione medietatis deputate prefato imperio excusentur; hiis duntaxat a solutione hujus tertie partis exceptis, qui, per constitutionem predicti concilii, super hoc eximuntur. De deportationibus vero, succursibus seu custodiis ecclesiarum vacantium, sive quocumque alio nomine, secundum locorum consuetudinem, appellentur, illi ad quos certo tempore, de consuetudine, pertinent, medietatem, quam non residentes in suis ecclesiis per sex menses prestare tenentur, subsidio prefati imperii non persolvent; dummodo exerceant suum officium sicut debent, cum pro residentibus haberi merito debeant, qui suum officium exequuntur. Ceterum predicta constitutio ad distributiones cotidianas nullatenus se extendit. Cruce signatis quoque restituatur integre quicquid ab eis, occasione hujusmodi subsidii, est receptum, et ab ipsis, hac de causa, de cetero nichil penitus exigatur. Denique, quia questio mota fuit, quanto tempore scolares teneantur commorari in scolis, ad hoc ut a prestatione medietatis concesse prefato imperio sint immunes, dicimus sufficere si per septem menses commorentur in scolis. In cujus rei

testimonium, presentes litteras fecimus fieri et nostro sigillo muniri. Actum anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, duodecimo kalendas maii, pontificatus domni Innocentii, pape quarti, anno quarto. — Nos igitur has moderationem et interpretationem, quas ubique, non obstantibus aliquibus litteris ab apostolica sede obtentis, precipimus firmiter observari, de predictorum fratrum consilio, approbantes eas, auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus; ac, eadem auctoritate, sententias, si que, occasione predicte subventionis, contra hujusmodi moderationem et interpretationem late sunt in aliquos, relaxamus, dispensantes nichilhominus cum illis qui exinde irregularitatem aliquam contraxerunt. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre confirmationis et dispensationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et beatorum Petri et Pauli apostolorum ejus, se noverit incursurum. Datum Lugduni, quarto nonas maii, pontificatus nostri anno quarto. »

CXXV.

22 jun. 1248. Innocentius IV, papa, eximit abbatem et monachos sancti Petri Carnotensis a provisione facienda quibusdam orientalibus pueris, Parisiis studentibus, dummodo per tres annos pensionem decem librarum parisiensium dictis pueris solverint.

« Datum Lugduni, X kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto. »

CXXVI.

22 jun. 1248. Bulla qua Innocentius IV, papa, monachis sancti Petri Carnotensis indulget, ut ad receptionem vel provisionem alicujus in pensionibus seu beneficiis ecclesiasticis nequeant per litteras apostolicas compelli.

« Datum Lugduni, X kalendas julii, pontificatus nostri anno quinto. »

CXXVII.

Bulla ejusdem papæ.

« Innocentius episcopus, servus.... Cum igitur, sicut ex parte 29 apr. 1249.
vestra fuit propositum, coram nobis, in monasterio vestro, jam dudum statutum fuerit et firmatum etiam juramento, ut prioratus seu possessiones ipsius in seculari manu minime poneretis; quia de Abbunvilla et de Puisaia prioratus vestri sunt adeo tenues et exiles, ac debitis onerati, quod in eorum alterutro non possunt duo monachi commode sustentari; nos, vestris supplicationibus benignum impertientes assensum, disponendi de ipsis prioratibus eorumque possessionibus, prout utilitati ejusdem monasterii expedire videbitis, predictis statuto et juramento nequaquam obstantibus, plenam vobis concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Datum Lugduni, III kalendas maii, pontificatus nostri anno sexto. »

CXXVIII.

Pactio inter monachos sancti Petri et Gaufridum de Pomereta.

« Viris religiosis et honestis abbati et conventui sancti Petri Car- 1 mart. 1250.
notensis, officialis archidiaconi Carnotensis, salutem in Domino. Noveritis nos, die martis post dominicam qua cantatur *Oculi mei*, vidisse et diligenter inspexisse quasdam litteras sigillatas sigillis vestris, non cancellatas nec abolitas, seu in aliqua parte viciatas, quarum tenor talis est : Ego Guido, divina miseratione abbas et conventus sancti Petri Carnotensis, omnibus presentibus pariter et futuris notum facimus, quod, cum inter nos et majorem nostrum Gaufridum de Pomereta, super majoratu ejusdem ville, quod in eo quedam indebita clamabit, contentio verteretur; tandem, cum eo, de assensu ejus, pacificavimus in hunc modum. Duas bonatas terre cum hebergamento suo eidem concessimus in perpetuum, ab omni consuetudine liberas et immunes,

cum medictate pastuum, quando idem pastus mense augusto collecti fuerint in domo monachi vel medietarii nostri ibidem commanentis; et si quid ab eisdem pastibus defuerit, defectum illum queret, et de illo defectu medietatem suam perficiet. Pro investituris, districtionibus et despectibus, quando evenerint, duo sextaria vini, nec de cariori nec de viliori; et, pro melioratione calciamentorum suorum, sex denarios a sacrista nostro annuatim habebit. Ipse vero, pro una carrata de bosco, singulis annis in nativitate beati Johannis Baptiste, quatuor solidos carnotenses eidem sacriste solvet, habiturus unum panem candidum, dimidium sextarium vini et unum denarium ad coquinam, quando illam solutionem faciet. Quando campipartem submonebit, cum monacho vel cum medietario nostro comedet; similiter quando oblite collecte fuerint, si ibidem fuerint collecte. Si vero ipsas oblitas ad nos adduxerit, unum panem candidum, unum stoldum vini et unum denarium habebit; similiter quando censum, lignagium et campipartem nostram adducet. Quotiens terra fuerit limitata, et arpentum fuerit retalliatum, duos denarios pro gantis habebit. Insuper per fidem et sacramentum nobis firmavit, quod ipse vel heres ejus, in feodo dicti majoratus nichil amplius usurpabit; pro quo scilicet feodo liberum abbati debet hominium, et usitatum ecclesie nostre majoris servitium. Quod ut melius posterorum memorie commendetur, presentem paginam notari fecimus, et sigillis nostris partitoque cyrographo communiri. Actum anno gratie millesimo ducentesimo tertio. — Quod autem vidimus hoc testificamur. Datum dicta die martis, anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo. »

CXXIX.

Jun. 1253. « .... Odo, dominus Borbonii et Aloie, filius ducis Burgundie, salutem. Noveritis quod prior sancti Romani de Brajoto, servicium quod fecit nobis fieri ab hominibus suis in adventu nostro, spontanea voluntate, fecit nobis idem prior atque gratis, quamvis de jure non tenetur ad istud servicium faciendum.... »

CXXX.

Monachi sancti Petri Carnotensis concedunt Michaeli, filio defunctæ Mariæ de Sancto Launomaro, redditum annuum quem dicta Maria in abbatia eorum percipere consueverat: videlicet modios 2 bladi, annuatim; micas nigras 2, singulis diebus; et quasdam res alias in coquina eorum, ad natale Domini, ad carniprivium et ad pascha Domini. Pro qua concessione dictus Michael annuatim tradet equum unum, idoneum ad faciendum monachis servitium per 40 dies. Dec. 1253.

CXXXI.

Monachi sancti Petri quosdam homines suos manumittunt.

« Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Carnotensis.... Noveritis quod, in nostra presentia constituti, Eremburgis, filia defuncti Hugonis de Lon, de Germegnonvilla, Aalidis, filia dicte Eremburgis, et Guillelmus, filius Leobini Coignet, maritus dicte Aalidis, recognoverunt quod, cum ipsi et Petrus, Guiotus, Gilotus et Johanna, filii dicte Eremburgis, et Ligardis, filia dictorum Guillelmi et Aalidis, essent homines de corpore monasterii beati Petri Carnotensis, abbas et conventus dicti monasterii manumiserant eos, et penitus absolverant ab omni jugo et honere servitutis; salvis dictis abbati et conventui jure suo, justicia, corveiis, moltura, tallia, censibus et omnibus aliis redibentiis que debentur dictis abbati et conventui de possessionibus dictorum manumissorum.... » Jan. 1257.

CXXXII.

Charta qua abbas de Tyronio declarat, priorem suum de Bucha Engriæ priori sancti Romani de Brajoto dimisisse quicquid ille juris habebat super quadam serjenteria, quam percipiebat in molendino dicto Richardi, sito in parochia de Arroto. Mart. 1257.

CXXXIII.

Monachi sancti Petri Carnotensis et monachi de Brolio pactionem faciunt de portione cujusdam molendini ad Vadum Hurdræ, deque decimis quæ persolvebantur in parochia ancti Georgii et in parochia de Olins. Mai. 1257.

CXXXIV.

Ludovicus, Francorum rex, confirmat pactionem initam inter conventum sancti Petri Carnotensis, et homines Boisvillæ, Morvillæ, Chavennarum.

Sept. 1258. « In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex,.... Nos litteras ballivi nostri Aurelianensis vidimus, in hec verba. Universis presentes litteras inspecturis, Girardus de Kauresio, ballivus Aurelianensis.... Contentione orta inter abbatem et conventum sancti Petri Carnotensis.... et homines istarum trium villarum, videlicet Boisville, Morville, Chavennarum.... ad hanc formam pacis deventum est : scilicet quod homines dictarum trium villarum de cetero non molent nec tenebuntur molere per banniam ad molendinum dictorum abbatis et conventus, situm apud Boisvillam; verumtamen homines dictarum trium villarum, Boisville, Morville et Chavennarum.... non poterunt.... habere molendinum seu molendina in dictis villis seu in territoriis ipsarum; nec tradere bladum vel granum cujuscumque speciei alicui querenti molturam nec conducere, vel gratis etiam recipere equum seu vecturam aliquam a muneriis, seu a querentibus molturam sive a dominis quorumcumque molendinorum, ad portandum bladum seu granum cujuscumque speciei ad molendum. Sed poterunt singuli homines dictarum trium villarum.... portare bladum seu granum.... ad molendum in collo suo, et in equis suis et vecturis conductis, seu gratis receptis a quibuscumque vicinis suis, preterquam a superius exceptis.... Hoc expresse acto quod homines dictarum villarum.... non poterunt facere seu inire aliquam conspiracionem seu convencionem, quod non molent ad dictum molendinum,.... situm apud Boisvillam, si molere voluerint. Item, inter dictos abbatem et procuratorem conventus, habentem speciale mandatum componendi, et homines de Boisvilla et de Morvilla, ad hanc formam pacis deventum est : videlicet quod ipsi homines dictarum duarum villarum.... non coquent nec tenebuntur coquere per banniam ad furnum dictorum abbatis et conventus, situm apud Boisvillam; verumtamen dicti homines.... non poterunt habere furnum

in dictis villis....; nec conspiracionem seu conventionem facere seu inire, quod non coquent ad furnum dictorum abbatis et conventus, situm apud Boisvillam, si coquere voluerint. Item,... quod dicti homines Boisville et de tota potestate Boisville.... in futurum justiciabuntur.... de alta et de bassa et de omnimoda justicia, in curia seculari dicti abbatis apud Carnotum, quando idem abbas seu ejus mandatum volet, et apud Boisvillam, quando idem abbas seu ejus mandatum volet.... Pro predicta vero bannia predictorum molendini et furni dictorum abbatis et conventus remittenda, et pro impositione que eisdem hominibus Boisville.... a quibusdam imponebatur, scilicet quod essent homines de corpore dictorum abbatis et conventus, licet ipsi homines dicerent quod ante pacem et post pacem semper liberi fuerant, penitus in posterum abolenda, prefati homines Boisville, Morville et Chavennarum.... promiserunt, pro se et pro forensibus de Boisvilla et de potestate Boisville oriundis, dare et solvere predictis abbati et conventui octies centum libras Turonensis monete.... Et per hanc pacem, dicti abbas et conventus habebunt ipsos homines Boisville et de tota potestate Boisville, et forenses de potestate Boisville oriundos pro liberis de corporibus suis. Fuit etiam expresse actum et conventum in ipsa pace, quod homines dictarum trium villarum,.... habentes seu habituri in dicta potestate terras seu alias quascumque possessiones, solvent et solvere tenebuntur annuatim prefatis abbati et conventui census de possessionibus suis, decimas, campipartes, pastus, charreium et omnes alias redibentias et costumas, quas homines de potestate Boisville unquam solvere consueverunt. Sciendum est autem quod homines istarum quatuor villarum, videlicet, Demeinville, Honville, Moinville, Ville Nove,.... poterunt habere in dictis villis molendina et furna vetera et nova, et vetera reficere, et nova edificare, prout voluerint, et molere et coquere ubi voluerint.... Actum anno Domini MCCLVIII, mense septembri. — Nos autem.... pacem predictam.... volumus, concedimus et auctoritate regia confirmamus.... Actum Parisius, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo octavo, mense septembri, regni vero nostri anno tricesimo secundo, astantibus in palacio nostro

quorum nomina supposita sunt et signa, dapifero nullo. Signum Johannis buticularii. S. Alfonsi camerarii. S. Egidii constabularii. Data vacante cancellaria. »

CXXXV.

Oct. 1261. Richardus, molendinarius, concedit, titulo commutationis, priori sancti Romani de Brajoto, quartam partem cujusdam molendini, siti apud (*sic*) molendinum de Foresta, quod nuncupatur molendinum Richardi, duasque petias pratorum, juxta dictum molendinum. Prædictus vero prior remittit tres modios bladi de admodiatione trium aliarum partium ejusdem molendini, præteriti temporis causa debitos, et alios modios duos de quatuor modiis bladi annuæ pensionis, quam Richardus solvere debuisset. In superioribus prati petiis duabus, altera, quæ vocatur *la boile* dicti molendini, salva est atque retenta Ermengardi, Richardi uxori, ratione illius dotis sive donationis propter nuptias.

CXXXVI.

Charta Johannis de Castellione, Blesensis comitis, de justitia et custodia nundinarum sancti Petri.

Jan. 1265. « Universis presentes litteras inspecturis....[1] Blesensis et dominus de Avesnis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum contentio esset inter nos, ex una parte, et religiosos abbatem et conventum sancti Petri Carnotensis, ex altera, super eo quod iidem abbas et conventus dicebant se habere et debere habere omnimodam justiciam secularem et custodiam[2].... vocantur nondine sancti Petri, quamdiu durant dicte nondine (que fiunt ter in anno Carnotis, annis singulis, in tribus festis sancti Petri, et vigiliis eorumdem festorum, scilicet, in vigilia, a prima pulsatione vesperarum in dicta ecclesia sancti Petri, dictorum festorum, et durant usque ad completorium dictorum festorum cantatum in dicta ecclesia); et ipsos abbatem et conventum habere et debere habere omnes coustumas, exitus et proventus dictarum nondinarum; et ipsos abbatem et conventum fuisse in possessione, vel quasi, exercendi omnimodam justiciam secularem et custodiam dictarum

[1] Hic est locus vacuus, quem, ut videtur, complere debebat nomen Johannis de Castellione, chartæ auctoris.

[2] Hic iterum nonnulla desiderantur.

nondinarum, quamdiu durabant dicte nondine; et esse et fuisse in possessione, vel quasi, percipiendi et levandi omnes coustumas, exitus et proventus dictarum nondinarum, nobis negantibus omnia supradicta. Item, cum esset contentio inter nos, ex una parte, et dictos religiosos, ex altera, super eo quod dicti religiosi dicebant se habere et debere habere tale jus seu talem libertatem, et se esse in possessione, vel quasi, talis juris seu libertatis, quod quadrige que honerate erant blado, avena, pannis, seu quibuscumque mercibus seu mercaturis, tam in domibus sitis in censivis eorumdem abbatis et conventus quam in plateis, viis et cheminis, ante vel juxta dictos domos sitas, et in prioratu eorumdem sancti Leobini, erant immunes a prestatione coustumie, rotagii et conductus facienda nobis seu comiti Carnotensi; et quod dicte quadrige habebant liberum conductum seu transitum, cum solo conductu eorumdem abbatis et conventus per totam civitatem et banleuguam Carnotensem, sine prestatione coustumie, rotagii et conductus nobis seu comiti Carnotensi facienda. Item, cum dicerent dicti abbas et conventus, quod ipsi, et nullus alius ab ipsis, diu fuissent et essent in possessione, vel quasi, percipiendi et habendi coustumas que vocantur tonleium et minagium, de omnibus rebus quibuscumque venditis et mensuratis in dictis domibus et plateis, sitis in censivis eorumdem, viis et cheminis, sitis ante dictas domos et plateas; nobis, e contrario, asserentibus et dicentibus dictos abbatem et conventum omnino non habere nec debere habere dictum jus sive dictam libertatem, nec ipsos esse vel fuisse in dicta possessione vel quasi. Item, cum esset contencio inter nos, ex una parte, et dictos religiosos, ex altera, super eo videlicet quod iidem abbas et conventus dicebant se habere et debere habere omnimodam justiciam secularem in pressorio Johannis de Feritate, quod dicitur pressorium Marescallis, situm infra metas majorie dictorum abbatis et conventus de Manuvillari, et se fuisse in possessione, vel quasi, exercendi omnimodam justiciam in dicto pressorio; nobis, ex adverso, asserentibus et dicentibus justiciam dicti pressorii ad eosdem abbatem et conventum non pertinere. Tandem, dictis religiosis nobis, humiliter supplicantibus, ut, nos super dictis omnibus contentionibus finem impo-

nere curantes, super premissis inquiri faceremus veritatem, et quod nos, jure nostro contenti, dimitteremus eisdem jus suum; nos, eorumdem religiosorum precibus inclinati, super premissis omnibus contentionibus, inquiri fecimus diligenter veritatem per fide dignos et juratos nostros, tam super dicta justicia dictarum nondinarum, quam super coustuma, rotagio et conductu dictarum censivarum et prioratu sancti Leobini, prout superius est expressum, quam super justicia pressorii supradicti. Inquisitione vero per fide dignos et juratos nostros, super omnibus premissis contentionibus, diligenter facta, super omnibus premissis contentionibus, de bonorum virorum consilio, nobis in modum qui sequitur placuit ordinare. Videlicet quod omnes coustume, exitus, obventiones et proventus et omnia explectamenta et omnimoda custodia, et omnimoda justicia dictarum nondinarum, quamdiu durabunt dicte nondine, a prima pulsatione vesperarum in vigilia dictorum festorum, in dicta ecclesia sancti Petri, dum tamen non pulsetur ad vesperas in dicta ecclesia antequam pulsatum fuerit ad horam none in majori ecclesia Carnotensi, usque ad completorium dictorum festorum cantatum in dicta ecclesia sancti Petri, sunt et erunt juris et proprietatis dictorum abbatis et conventus, et eisdem abbati et conventui, et monasterio beati Petri Carnotensis, quite, libere et pacifice, et sine contradictione aliqua, remanebunt imperpetuum, in viis, in cheminis et alio circuitu nondinarum, in locis in quibus exercebuntur nondine, exceptis dominis et dominabus domorum que sunt et erunt in dicto circuitu, et familiis eorumdem, a tali loco usque ad talem locum, videlicet a domo Petri de Parisius usque ad portam Paradisi, et ab illa porta Paradisi usque ad pontem sancti Petri, et ab illo ponte sancti Petri usque ad pontem sancti Hylarii, et ab illo ponte sancti Hylarii usque ad pontem Taillehardi, et ab illo ponte Taillehardi usque ad domum que fuit defuncti Theobaldi de Cuneo Muri, et de colle de Tencul usque ad portam predictam Paradisi, a parte abbatie supradicte; excepto et salvo nobis remanente resorto, et excepta omnimoda alta justicia, videlicet proditione, raptu, multro, incendio et incisione, thesauro invento, cum predicte alte justicie pertinenciis in locis predictis que nobis seu co-

miti Carnotensi et successoribus nostris imposterum remanebunt, si dictam altam justiciam in dictis nondinis contigerit devenire. Ad conservanda vero jura que nobis in dictis nondinis retinemus, et que per ordinationem nostram in prefatis nondinis monachis remanent supradictis, nos habebimus et habere poterimus in prefatis nondinis proprium servientem; ita tamen quod quicumque a nobis, vel ex parte nostra, ad custodiam jurium que in dictis nondinis retinemus fuerit deputatus, coram mandato nostro jurabit, presente dictorum monachorum mandato, si voluerint quod mandatum eorum intersit, quod jura nostra que in dictis nondinis retinemus fideliter observabit, et quod ad jura seu ad aliquod jurium que prefatis monachis remanent, per ordinationem nostram predictam, scienter nullatenus manus mittet. Ita etiam ordinavimus quod, ad custodienda predicta jura que in dictis nondinis retinemus, deputabimus aliquem de burgensibus nostris Carnotensibus, qui tamen non sit prepositus Carnotensis. Preterea coustumie minagii, rotagii et conductus de blado, avena, pannis et aliis quibuscumque mercibus seu mercaturis, que reponentur, percipientur, mensurabuntur et levabuntur in censivis et de censivis quas habent et possident, et in quibus coustumas percipere, levare et habere consueverunt in valle sancti Petri, et in censivis ad dictam vallem pertinentibus, et prioratu sancti Leobini eorumdem abbatis et conventus, sunt et erunt juris et proprietatis ipsorum abbatis et conventus, et eisdem abbati et conventui et monasterio beati Petri Carnotensis, quite et libere et pacifice, et sine contradictione aliqua, imperpetuum remanebunt; excepta coustuma salis, et excepta coustuma vini venditi in bennagio comitis, que bennagium noncupatur, et exceptis omnibus coustumis quibuscumque que erunt et remanebunt nobis et comiti Carnotensi, in domibus inferius annotatis, sitis apud portam Morardi, in censiva abbatie sancti Petri supradicti, videlicet : domus Heberti fabri, que debet viginti sex denarios; Michael de Senesvilla, quatuor solidos sex denarios; Aubertus faber, quatuor solidos et tres denarios; Gilo, filius Heberti, duodecim denarios; soror Prioris le Charron, viginti sex denarios; Robertus des Noiers, viginti sex denarios; uxor Johannis Anglici, viginti sex dena-

rios; Ansellus miles de Monvilla, septem solidos obolo minus; Johannes Colli Rubri, tres solidos octo denarios et obolum; in quibus dicti abbas et conventus non habebunt nec accipient coustumas, nec nos, nec servientes nostri, poterimus alicui inhibere seu impedire quin blada, avenas, pannos, seu alias quascumque merces seu mercaturas, reponat in censivis eorumdem abbatis et conventus. Quadrige vero que honerate fuerint de blado, avena, pannis, et aliis quibuscumque mercibus seu mercaturis, mensuratis, perceptis et levatis in censivis et de censivis eorumdem, abbatis et conventus et prioratus eorumdem sancti Leobini, habebunt per totam civitatem et banleuguam Carnotensem liberum conductum et transitum, cum solo conductu dictorum abbatis et conventus, sine prestatione alterius coustume rotagii et conductus nobis et comiti Carnotensi facienda; hoc excepto quod de quadrigis que honerate erunt blado et avena, seu aliis quibuscumque mercaturis, in viis, cheminis ante domos vel censivas dictorum abbatis et conventus, seu extra domos dictarum censivarum, nobis et successoribus nostris rotagium remanebit, quamvis dicta blada, avene vel alie mercature levate fuerint de domibus vel censivis predictis; nec dicti monachi rotagium vel conductum de rebus predictis poterunt reclamare, nec aliquos a predictis coustumis quantum ad predicta liberare. Preterea de quadrigis dehoneratis in domibus sive ante domos censivarum suarum, quamvis dictarum quadrigarum themone dictas domos valeant subintrare, dum tamen tota quadriga, prout honerata est et munita equis et aliis ornamentis quadrigarum, dictas domos seu domum intrare non possit, habebunt dicti monachi totum minagium. Omnimoda vero justicia pressorii predicti Johannis de Feritate, quod vocatur pressorium Marescallis, est et erit juris et proprietatis dictorum abbatis et conventus, et eisdem abbati et conventui libere, quite et pacifice, et sine contradictione aliqua, imperpetuum remanebit. In cujus rei testimonium et munimen, presentes litteras sigilli nostri munimine duximus roborandas. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, mense januario. »

CXXXVII.

Compositio facta inter monachos sancti Petri Carnotensis et homines de Abonvilla.

« Omnibus presentes litteras inspecturis, Hugo de Sancto Justo, baillivus Aurelianensis, salutem in Domino. Noverint universi, quod, cum orta esset contentio inter viros religiosos abbatem et conventum sancti Petri Carnotensis, ex una parte, et homines de Abonvilla, ex altera, super hoc quod dicti abbas et conventus dicebant homines predictos esse homines de corpore dictorum abbatis et conventus, et unumquemque eorum debere dictis abbati et conventui quatuor denarios de censu corporis sui; et etiam petebant dicti abbas et conventus, de dictis hominibus equos habentibus, tres corveias per annum; preterea petebant dicti religiosi quod dicti homines justiciarentur per dictos religiosos, apud Carnutum, de omnimoda justicia; et etiam petebant dicti religiosi quod dicti homines molerent per bannum ad molendinum dictorum religiosorum, situm apud Abonvillam : que omnia et singula dicti homines non cognoverunt, nobis audientibus, se debere. Tandem predicti abbas et conventus, ex una parte, et dicti homines de Abonvilla, ex altera, bonorum virorum consilio, hanc pacis viam inierunt. Videlicet, quod predicti abbas et conventus eosdem homines pro liberis de corporibus suis, ex nunc et imperpetuum, habebunt. Homines vero de Abonvilla et quicumque alii terras seu possessiones in villa Abunville vel in ejus territorio tenent vel tenebunt, habent vel habebunt, eisdem abbati et conventui decem libras turonenses vel carnotenses annui redditus, singulis annis in festo nativitatis beate Marie, solvere tenebuntur. Preterea dicti homines de Abunvilla et quicumque alii terras possessiones in dicta villa habentes, vel in territorio dicte ville, solvent dictis abbati et conventui, vel eorum mandato, census quos consueverunt solvere de possessionibus suis, decimas, campipartes, charreium, prout consueverunt, corveias bis in anno, videlicet illi qui habebunt equos, videlicet unam corveiam in mense marcio et aliam in garetis, et alias costumas quas consueverunt solvere, excepta servitute quam semper negaverunt

20 mart. 1265

se debere; ita tamen quod dicti religiosi tenebuntur dare servienti, dum faciet corveiam, panem et vinum et tria ova, prout est antiquitus consuetum. Et insuper predicti homines molent per bannum ad molendinum dictorum abbatis et conventus, situm apud Abunvillam, per talem molturam qualem ville vicine solvere consueverunt; et etiam justiciabuntur predicti homines per dictos abbatem et conventum vel eorum mandatum de omnimoda justicia, quando voluerint dicti abbas et conventus, apud Abunvillam, si querela vel contentio summam viginti solidos non excedat; si autem querela vel contentio summam viginti solidos excesserit, dicti homines apud Carnutum vel Boivillam per dictum abbatem vel ejus mandatum justiciabuntur. Si vero contigerit aliquem hominem predictorum deficere in solutione partis sue dictarum decem librarum ultra terminum prenotatum, dicti abbas et conventus vel eorum mandatum poterunt seisire et expletare omnia bona sua mobilia et immobilia in dominio suo existentia, donec eisdem satisfactum fuerit de debito et emenda. Et ut istud firmum permaneat et stabile, nos, ad petitionem partium predictarum, sigillum nostrum proprium huic scripto dignum duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, die Veneris post *Letare Jehrusalem*, apud Boivillam. »

CXXXVIII.

Charta qua Jacobus Rousselli monachis sancti Petri nonnullas præstationes remittit.

Mart. 1265. « Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Carnotensis, salutem in Domino. Noveritis quod, in nostra presentia constitutus, Jacobus Rousselli, civis Carnotensis, asserens se habere in abbatia sancti Petri Carnotensis quandam sergenteriam et feodum, ratione dicte sergenterie, quolibet anno, quandiu viveret idem Jacobus, octo sextaria bladi ad mensuram Carnotensem, qualibet septimana decem et septem ova in quoquina dicte abbatie, quolibet anno unum sextarium pisorum, et quolibet die tres michas nigras ad vitam suam; predictus Jacobus, considerans se de bonis abbatie predicte per longum tempus habuisse, predicta octo sextaria bladi, ova, pisa et michas

nigras predictas et sergenteriam predictam, cum feodo dicte sergenterie, prout ea in dicta abbatia habebat et habere et percipere consueverat, abbati et conventui monasterii sancti Petri Carnotensis et eorum monasterio, pro remedio et salute anime sue, ex nunc omnino dimisit, et omnia et singula predicta predictis abbati et conventui et eorum monasterio in puram et perpetuam elemosinam ex nunc dedit, contulit et concessit; volens idem Jacobus et concedens quod dicta sergenteria, feodus et omnia et singula predicta dictis religiosis et eorum monasterio imperpetuum remaneant, ex nunc, pure, libere, pacifice et quiete; ipso Jacobo, de cetero, seu altero pro eo vel ejus heredibus seu successoribus, in premissis vel aliquo premissorum, aliquid juris nullatenus petentibus seu reclamantibus in futurum, et quod omnia et singula predicta sint, ex nunc, juris et proprietatis dictorum religiosorum et eorum monasterio, et eisdem, ex nunc, in perpetuum remaneant, aliquo impedimento seu obstaculo nullatenus obviante. Quam sergenteriam cum feodo et omnibus aliis et singulis supradictis quitavit, ex nunc, dictus Jacobus, fide sua, imperpetuum, dictis religiosis et eorum monasterio supradicto. Omnia autem premissa et singula promisit dictus Jacobus, per fidem suam in manu nostra prestitam, se inviolabiliter observare et contra premissa vel aliquid de premissis in aliquo non venire, per se vel per alium in futurum. Et pro premissis tenendis, ut dictum est, et inviolabiliter observandis in futurum, obligavit per fidem suam idem Jacobus se, omnia bona sua mobilia et immobilia, presencia et futura, et heredes suos quoscumque universos et singulares. Ad que tenenda et observanda, ut dictum est, ipsum Jacobum, presentem et in hoc consentientem, condempnamus. In cujus rei testimonium memoriam et munimen, sigillum curie Carnotensis, ad peticionem dicti Jacobi, presentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, mense martio. »

CXXXIX.

Goherius, miles, dominus de Querqubruna, notum facit se cum monachis sancti Petri ad compositionem venisse de decimis molendinorum de Querqubruna et de Brolio, de Aug. 1265.

decimis furnorum fori et censuum, de decima quoque decem librarum de Boourz, et de jure patronatus seu præsentatione ecclesiæ de Querqubruna.

CXL.

Compositio facta inter conventum sancti Petri et majorem de Tyvas.

Nov. 1265. « Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Carnotensis, salutem in Domino. Noveritis quod, cum contentio verteretur inter religiosos viros abbatem et conventum sancti Petri Carnotensis, ex una parte, et Johannem armigerum, majorem de Tyvas, et Johannam ejus uxorem, ex altera, super eo videlicet quod dicti armiger et ejus uxor dicebant se habere debere in quodam prato, quod vocatur magnum pratum, situm apud Tyvas, in dominio dictorum abbatis et conventus, restalagium, sedem mullonorum, rivagia, et medietatem cujusdam logie que fiebat quolibet anno et fieri consueverat in dicto prato ad custodiendum dictum pratum, duas punctas in dicto prato, et unum onus herbe, quamdiu falcatores in dicto prato existerent; item, et super eo quod dicti armiger et ejus uxor dicebant se debere habere in quibusdam aliis pratis, sitis in dominio dictorum religiosorum, videlicet in prato quod dicitur Mejenel, in prato quod dicitur pratum de Insula, et in prato quod dicitur pratum de Fonte, restalagium, sedem mullonorum, rivagia et unum onus herbe, eo modo quo dicebant se habere in dicto magno prato dicti armiger et ejus uxor, dictis religiosis in contrarium dicentibus et negantibus ipsos Johannem et ejus uxorem debere habere premissa eo modo quo dicebant; dicerent insuper dicti armiger et ejus uxor, pro dictis pratis custodiendis, se debere habere a medio mensis marcii quatuordecim michias nigras, quousque inciperentur falcari dicta prata, et, inde ex tunc, cum inciperentur falcari dicta prata, qualibet ebdomada, septem michias albas, septem nigras in abbatia, et septem stolidos vini, quale servientibus abbatie distribuebatur, quousque dicta prata falcarentur et adduceretur totum fenum dictorum pratorum ad granchiam dictorum religiosorum, ipsis religiosis in contrarium dicentibus. Tandem.... ad hanc amicabilem pacem devenerunt inter se coram nobis. Videlicet quod dicti Johannes

et ejus uxor, pro omnibus et singulis premissis, haberent tantummodo quintum seu quintam partem in omnibus dictis pratis, et quinquaginta libras turonenses in pecunia numerata. Quam quintam partem confessi fuerunt dicti armiger et ejus uxor sibi esse assignatam in dicto magno prato, videlicet in quinque arpentis et dimidio et dimidio quarterio dicti magni prati, per venerabiles viros Stephanum de Trambleia, militem, et Raginaldum Barbou, civem Carnotensem, de communi assensu partium predictarum.... Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quinto, mense novembri. »

CXLI.

Hugo de Castro condonat monachis sancti Petri fossata sua de Bruroliis.

« .... Ego Hugo de Castro, miles, Brurolarum dominus, notum facio quod ego dedi et concessi, in puram et perpetuam elemosinam.... conventui sancti Petri Carnotensis et priori de Bruroliis, ejusdem abbatie monacho,.... fossata mea de dictis Bruroliis, sita inter castrum meum de Bruroliis et monasterium sancti Germani de dictis Bruroliis, prout se extendunt in longum, ab ulmo que sita est in latere dictorum fossatorum, juxta viam per quam itur de villa Brurolearum ad dictum monasterium et prioratum, usque ad muros sitos juxta extremam partem granchie dicti prioratus et juxta turrim dicti castri, et prout dicta fossata se extendunt in latum, a petra ultimi pilarii dicti monasterii, que petra dicitur *le tablement* dicti pilarii, quod pilarium situm est inter portam dicti prioratus et dicta fossata, et a solio janue dicti monasterii site in latere dicti monasterii, ex parte dictorum fossatorum, equaliter, linea ad lineam, usque ad aliam partem dictorum fossatorum junctorum muris dicti castri de Bruroliis, usque ad predictam ulmum et predictos muros jungentes dicte turri et dicte granchie.... » Jan. 1266.

CXLII.

Robertus de Ermentariis et Guillermus dictus Ruffus, burgenses de Quercubruna, notum faciunt se compositionem fecisse cum priore de Ermentariis, eique concessisse, pro sexaginta solidis turonensibus, molendinum de Boysel, cujus nonam partem, jure hæreditario, repetebant. Apr. 1269.

CXLIII.

Monachi sancti Petri plateas suas et prioratus sui sancti Paterni Aurelianensis quibusdam hominibus condonant.

11 apr. 1271. « ....Guido, humilis abbas beati Petri Carnotensis.... Noveritis quod nos, nomine monasterii nostri et prioratus nostri sancti Paterni Aurelianensis, tradimus.... in perpetuum Odoni le bourrelier, Dionisio le bourelier, Herveo le faacier, Johanni de Chenaco, Stephano le bourelier, Radulpho furnerio et Johanni de Semilliaco, ac eorum heredibus.... plateas nostras, et prioratus nostri sancti Paterni Aurelianensis, in quibus solebant esse, domus, que nuper de novo in magno incendio Aurelianensi combuste fuerunt, quas nos et prioratus noster predictus habemus Aurelianis versus sanctum Sanxonem.... inter quas est quidam furnus ab antiquo constitutus, qui furnus sancti Petri de Carnoto nuncupatur, tenendas.... a dictis hominibus.... ad annuas pensiones.... persolvendas.... Que quidem pensiones tales sunt : videlicet quod.... XL solidos parisienses.... solvere tenebuntur;.... XXX solidos parisienses;.... XXX solidos parisienses;.... XXV solidos parisienses;.... XXV solidos parisienses;.... XX solidos.... Libertates vero, immunitates et franchisie dictarum platearum tales sunt : quod habitantes et commorantes in eisdem non tenentur solvere talliam, que vulgariter appellatur Aurelianensis tallia panis et vini, neque lagenam de blado et vino, quod exercuerit in propriis possessionibus et teneuris habitancium vel commorancium in dictis plateis; neque solvere vel reddere talliam, nec facere corveiam aliquam; hoc excepto, quod a custodia seu excubia ville Aurelianensis de nocte facienda non promittimus, nec tenemur eos deffendere vel tueri.... Datum anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo undecimo, mense aprili et die sabbati post resurrectionem Domini. »

CXLIV.

Jun. 1275. Jacobus, abbas, conventusque sancti Vincentii in Nemore, declarant se acquisivisse in perpetuum a monachis sancti Petri, pro 34 solidis annui redditus, solvendis priori de Grosso Luco, calceiam stagni, dicti de Rualet, et quamdam noam prati, sitam subter stagnum prædictum, contiguamque terris prioris sancti Angeli, ex una parte, et terris hominum de Baronvalle, ex altera.

CXLV.

Ysabellis, domina de Maillebois, vidua, condonat monachis sancti Petri et priori eorum de Grosso Luco, quidquid juris habebat in quadam pecia terræ quæ vocatur Brocia Erroudi, sita in stagno de Rualet et Tymerois. Febr. 1276.

CXLVI.

Charta Bartholomæi, abbatis sancti Petri, de quadam platea apud Sanctum Georgium sita.

« ....Bartholomeus, permissione divina, monasterii sancti Petri Carnotensis abbas humilis, totusque ejusdem loci conventus.... Nos, de communi assensu nostro, ac etiam de assensu religiosi viri prioris prioratus nostri de Sancto Georgio, ... concedimus Robino, munerio, de Marcilliaco, et Agneti, ejus uxori, unam plateam in aqua nostra de vado Hardre, apud Sanctum Georgium; in qua platea idem Robinus edificabit molendinum unum et domum dicti molendini, suis propriis sumptibus.... Quod molendinum dicti Robinus et ejus uxor tenebunt et possidebunt, tanquam proprium demanium suum, ad vitam eorum et alterius ipsorum qui supervixerit, cum aqua veniente ad dictum molendinum, scilicet de aqua francisca a primo palo dicte aque usque ad ripariam Normannorum, cum insula de clauso Martini et cum parvis insulis que sunt intra dictam aquam et pratum ibi situm; in qua aqua dicti Robinus et ejus uxor piscari poterunt.... Tradimus etiam.... dicto Robino.... furnum nostrum de sancto Georgio : tali modo quod nos.... poterimus libere ad dictum molendinum molere et ad dictum furnum libere coqui,.... ita tamen quod non fiet ibi coctio ad vendendum. Pro quibus.... dicti Robinus et ejus uxor tenentur solvere priori dicti loci.... decem libras turonenses annis singulis.... Datum anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo octavo, die sabbati ante festum beati Petri ad vincula. » 30 jul. 1278.

CXLVII.

Compositio facta inter Johannem de Sancto Cirico, militem, et priorem de Giseciis, de refectione cujusdam molendini, ad Vianam siti, quod vocatur molendinum de Petiton. Jun. 1280.

« Datum anno gratie millesimo ducentesimo octuagesimo, mense junio. »

CXLVIII.

Scriptum de majoria villæ Emprinvillæ.

19 oct. 1281. « Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Carnotensis, salutem in Domino. Noveritis quod, in nostra presencia constitutus, Guillelmus major de Emprinvilla, filius defuncti Petri, quondam majoris de Emprinvilla, asserens se tenere, habere et possidere, ratione hereditatis sue, majoriam dicte ville de Emprinvilla et quadraginta sextaria terre semeure, vel circa, pertinentia ad dictam majoriam, sita in pluribus peciis, in territorio dicte ville et territorio de Concreis; item medietatem cujusdam herbergamenti et totius porprisii ejusdem, pro indiviso, excepta quinta parte quarte partis tocius dicti herbergamenti et porprisii ejusdem; quod hebergamentum situm est in villa de Emprinvilla; que majoria, terra atque domus cum porprisio, sita sunt in dominio, justicia et jurisdictione sancti Petri Carnotensis; dictam majoriam et quadraginta sextaria terre semeure predicta ac medietatem dicti hebergamenti et porprisii, cum pertinenciis et appendiciis earumdem, excepta dicta quinta parte quarte partis totius dicti hebergamenti, necnon omnes redditus, fructus, proventus et exitus et medietatis hebergamenti predictorum, in quibuscumque rebus existant, cum omni jure, dominio, proprietate et possessione, que et quas habebat vel habere poterat seu debebat dictus Guillelmus in omnibus et singulis rebus predictis, quacumque ratione sive causa, vendidit et nomine vendicionis concessit religiosis viris abbati et conventui monasterii sancti Petri Carnotensis, pro precio sexcies viginti librarum carnotensium.... Datum anno Domini millesimo ducentesimo octuagesimo primo, die dominica post festum beati Luce evangeliste. »

CXLIX.

Philippus III, rex Francorum, confirmat litteras Ludovici VI, datas in gratiam monasterii sancti Petri Carnotensis.

« Philippus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis tam presentibus quam futuris, quod nos litteras clare memorie Ludovici regis Francorum, antecessoris nostri, vidimus in hec verba : Dec. 1284.

« Moribus docemur et legibus, quoniam regni gubernacula regibus ad hoc commissa sunt, ut primum bene se regant, deinde regalium et legalium mandatorum contemptores gladio ultore coherceant, quatinus quod pontificalis auctoritas non sufficit adimplere per sermonem doctrine, hoc perficere studeat regia potestas per perseveritatem discipline. Quod ego Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex, ab interpretibus scripturarum audiens, et, pro gratia michi divinitus collata, intelligens, admonitionibus et consilio episcoporum regni nostri, statui apud me, ut, speciali privilegio, possessiones ecclesiarum et monasteriorum sub tuitionem regie protectionis susciperem et ab oppressionibus et injustis occasionibus imperpetuum liberarem. Non enim res humane aliter tute et incolumes esse possunt, nisi cum in unum conveniunt, ad earum defensionem, et jus regni et auctoritas sacrata pontificum. Inde est quod municipium quoddam, in Aurelianensi episcopatu situm, presenti anno destruximus, propter importabilem et execrabilem maliciam quam exercebant dominatores ejusdem municipii et eorum ministri in possessionibus sanctorum locorum, que nullo rigore ecclesiastice discipline poterat coherceri. Nos itaque, Dei misericordia preveniente et subsequente, huic malicie cohercende supremam imposuimus manum, et ad correctionem omnium secuturorum destructionem predicti municipii, in perpetuum reliquimus monumentum. De cetero superest ut quod, Deo prosperante, felici successu incepimus, non dissimili fine concludere studeamus, et ad petitionem ecclesiarum seu monasteriorum libertatem et immunitatem prediorum eorumdem diu vexatam, diu a Puteacensibus dominis oppressam, in debitum statum principali nostra pietate reformemus. Nominatim ergo, propter reve-

rentiam beate Marie et beati Petri apostoli, in prediis Carnotensis ecclesie, tam episcopalibus quam canonicalibus, et prediis monasterii beati Petri apostoli, pretaxatas oppressiones funditus abolemus, ut neque sub nomine nostre regie majestatis, neque sub nomine alicujus alterius potestatis, alique angarie vel violentie inferantur, nulle exactiones, nulla gravamina ingerantur; set omnis eorumdem utilitas usibus eorum tantum proficiat, pro quorum sustentatione sacratis locis predicta predia fidelium collatione sunt concessa et predecessorum nostrorum astipulatione confiscata[1]. Hoc per succedentia tempora illibatum manere precipimus, hoc pragmatica nostra sanctione firmamus, et mandati nostri contemptores et violatores centum librarum auri exactione multandos esse constituimus. Ad hec, ut testatior sit nostra constitutio, metropolitanis et eorum suffraganeis concedimus, ut pretaxatos decreti nostri contemptores et in hoc majestatem regiam minuentes, tamdiu a liminibus ecclesie extorres faciant, quousque ad plenum satisfactionis remedium confugiant. Actum Aurelianis in palacio, publice, anno incarnati Verbi millesimo centesimo undecimo, anno vero consecrationis nostre tercio; presentibus de palacio nostro quorum nomina subtitulata sunt et signa. Signum Anselli de Guerlanda, dapiferi nostri. Signum Hugonis, constabularii. Signum Guidonis, buticularii. Signum Guidonis, camerarii. Quod, ne ullatenus infirmari vel irritum fieri valeret, nostri nominis karactere et sigillo firmari et corroborari precipimus. Stephanus, cancellarius, relegendo subscripsit. — In cujus rei testimonium, presentibus litteris nostrum fecimus apponi sigillum. Actum Parisius, anno Domini millesimo ducentesimo octogesimo quarto, mense decembri[2]. »

CL.

Accord entre Adan, sire de Guiri, et les moines de Saint-Père de Chartres.

Apr. 1289. « .... A touz ceus qui verront et orront ces présentes lestres, Adan, sires de Gueri, saluz en nostre Seigneur. Sachent tuit que, comme

[1] Fort. leg. *confirmata*.

[2] Monogramma Philippi regis ad calcem hujus chartæ delineatum est.

